


Lettres d'Imérance à Lucie
par M. le Prince de Beaumont
1765
Elizabeth 1766

Letters 187

V/1743.

PATER

AMORE, VEL ODIO;

ERGA LIBEROS

EXCÆCATUS.

PERSONÆ.

PATRICIUS, Pater Philotæ & Eugenii.

PHILOTAS, Patricii filius natu major.

EUGENIUS, Patricii filius natu minor.

IRENÆUS, Patricii amicus.

NEOPHYLAX, Philotæ & Eugenii moderator.

PHILOSTORGUS, Pater filii male admodùm morati.

CASTOROPOLA, Petasorum opifex.

PYRACMON, Faber ferrarius.

CAROLI POREE E SOCIETATE JESU, SACERDOTIS, FABULÆ DRAMATICÆ,

EDITÆ AB UNO EJUSDEM SOCIETATIS SACERDOTE.



LUTETIÆ PARISIORUM,

Apud MARCUM BORDELET, Bibliopolam è regione Collegii Ludovici Magni.

M. DCC. XLIX.

CUM PRIVILEGIO REGIS.



PRÆFATIO.

UBICUMQUE, apud varios Europæ populos, Litterarum ſtudia vigent, celeberrimi qui juventutis ingenia & mores excolunt, Magiſtri Theatra erexêre, in quibus diſcipulorum exercitaretur induſtria. Ineſt Theatralibus Muſis decor, ſuæ ſunt iis illecebræ, quas ſi prudens Poëta ad mores informandos traduxerit, is diſcipulorum vitia eò certiùs caſtigabit, quòd mentes delectando erudiet.

Senſerat illud præ cæteris P. CAROLUS PORÉ'E cujus Tragœdias, olim actas cùm omnium Ordinum plauſu, nunc typis publicè mandatas politiorum litterarum amatores ſummâ voluntate exceperunt. Nec minorem eſſe ſcimus Fabularum expectationem, quas idem Author pari ſtudio, eodemque ſucceſſu elaboratas certis anni temporibus alumnis ſuis agendas præbere conſueverat. Cùm publicâ in oratione expenderet *ſit-ne Theatrum, an eſſe poſſit ſchola moribus informandis*

idonea, apertè professus est quibus vellet illud vitiis expurgari, quibus ornari virtutibus. Quod tunc tam verè, quàm feliciter pronuntiavit, id in totâ hujus operis serie præstare ipse impensè studuit.

» Quorsùm, inquiebat, amabo vos, » in Galliâ, in Italiâ, in Hispaniâ, in » Germaniâ, & alibi gentium, Tot viri » Academiis litterariis præpositi Theatra » in Gymnasiis erigunt, ubi Juventus Aca- » demica recitandis Tragœdiis vel Comœ- » diis exerceatur? Quò pertinet opero- » sorum hominum, & in umbrâ desudan- » tium labor & industria? An id student » unum, ut puerorum fingant vocem ad » suavitatem, gestum ad elegantiam, » incessum ad dignitatem, totum corpo- » ris habitum ad concinnitatem & decen- » tiam? Non aspernantur quidem istum » exercitationis molestæ fructum, cujus » patet usus in totam vitam frequentis- » simus. Sed aliud spectant operæ suæ » pretium pluris æstimabile. Trajiciunt » discipulos ex humili & obscurâ littera- » rum scholâ in scholam Theatri subli- » mem & splendidam, ut juvenes mag- » nas olim in Repub. personas acturi dis- » cant maturè ea spernere vel amare, » quæ in scenâ domesticâ risu vel plausu » excipi viderint. (*a*)

(*a*) In oratione de Theatro Tom. III. pag. 142.

Ut finem hunc optimo moderatore dignissimum assequeretur, nihil unquam omisit Author, quem fuisse omnes fatentur tam ingenio felicem, quàm solertem artificio, tam naturæ scientem, quam severioris disciplinæ tenacem, tam limæ & laboris patientem, quàm longo rerum usu exercitatum. Qui juvenilibus hisce ludis interesse solebant, non sine jucundo voluptatis sensu meminerunt aptè dispositas in ordinem scenas, ita ut Fabula facili primùm intricata nodo, mox continuato eventorum filo suspensa, prono demùm ac proclivi rerum decursu se spontè expediret. Meminerunt narrationes simplices, quotidiano quasi sermone, sed dilucido, explicatas, quæ auditorem nunc jocosè detinerent, nunc ad lætiora præpararent, nunc vehementissimè commoverent. Meminerunt usurpatum ab optimo Poëtâ dicendi genus, personis quàm maximè accommodatum, lene ut plurimùm & æquabile, puro, ut ita dicám, & limpido fonte dimanans. Meminerunt facetos argutosque sales, qui à scurrilibus jocis prorsùs alieni, ingenuâ venustate & nativâ quâdam festivitate animis arridebant. Meminerunt denique serias gravesque sententias, quæ scitè jocis elegantibus intertextæ, tan-

rum iis adjiciebant ponderis & ornamenti, quantùm amœnitatis vicissim ab iis recipiebant.

Argumenta selegit morum præceptor sagacissimus, quæ tota ad probam juventutis institutionem facerent. Juvenes ubique repræsentat vel imperitos, ut doceat; vel leves, ut coerceat; vel vitiosos, ut corrigat; vel bene moratos, ut spectatoribus ad exemplum proponat. Atque, ut erat artis Theatralis peritissimus, Argumentum tractare non dubitavit, quod anteà jam in Galliâ & in Italiâ usurpatum ab optimis Poëtis fuerat, & eâ tractatum laude, quæ alium quemlibet ab eodem suscipiendo argumento potuisset deterrere. In bonum juventutis Academicæ, laudem eorum æmulatus P. CAROLUS PORÉE, Lusorem periculosas aleæ subeuntem vices, adumbravit eo successu, qui nihil antecessorum gloriæ invidendum relinqueret. Peritos rerum æstimatores non semel dicentes audivimus recentem illum Poëtam in iis quæ ad Theatrale artificium pertinent nulli esse secundum.

Huic argumento alia adjunxit, quæ eodem ducta penicillo, iisdem picta coloribus, eâdem quoque luce splendescere visa sunt. Sive enim filium perditè ama-

tum à Patre, sive alium pessimè domi habitum, sive juvenis otiosi inanes ludos, sive adolescentem in vitium flecti cereum, sive eundem à vitiis revocatum in scenam evocet, ad ornandam illustrandamque scenam simul artem & naturam felici quodam fœdere inter se connexas evocat. Totus est in propulsandis vitiis, totus in suadendâ honestate, tantâque in id incumbit industriâ, ut multi è Theatrali ejus scholâ reduces, illud ei elogium impertiri non dubitarent, quo Poetam alium insignivit Horatius

Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non
Plenius ac melius Chrysippo & Crantore dicit (a).

Nec satis illi fuit alumnos facere in eloquendo disertos, nisi eosdem fecisset in agendo eloquentissimos. Est enim actio quasi corporis quædam eloquentia, ut rectè annotavit oratorum princeps (b). Valet illa plurimùm in recitandis orationibus, at in agendis personis primas ei nemo non concedit. Vix credibile est quantis curis P. CAROLUS PORE'E infantes

(a) Horat. lib. 1. Epist. 2.

(b) Cicer. in oratore.

adhuc actores ad perfectissimam dicendi & agendi artem erudiret.

Cùm eos plurimis laboribus, pœne dixi sudoribus, in umbratili Palæstra per dies multos exercuisset, prodibant in Theatrum eâ libertate quæ ingenuos adolescentes deceret, quæque procul abesset à Mimorum licentiâ. Rebus ipsis erat par & æqualis actio. Gestus non intensè elati, non pueriliter vagi, non molliter fracti, non indecorè fluctuantes, sed sine arte compositi, & ipso naturæ motu artificiosi. Status, incessus, excursio, cervicis inflexio, projectio brachiorum, ipsæ digitorum argutiæ naturam exhibebant, non incultam ac rudem, sed elegantem, sed lepôrum artificem, sed politiorum hominum ingeniis blandientem, & ad ea exhilaranda expeditam.

Ut rebus par erat corporis actio, ita par actioni vocis sonus. Tyrones ac novelli actores assuescebant varios sonorum gradus sive intendendo, sive remittendo, persequi. Videbantur inter se confabulari, condolere, conqueri & ita modis omnibus colludere, ut veros animi sensus expromere, non imitatrices personas agere crederentur: Tantum erat instar in ore, in vultu, in oculis, in toto corporis habitu! Hac arte hilaritatis &

tristitiæ modum non in suis tantùm, sed in spectatorum animis temperabant. Hinc plausus frequentes, hinc subitæ acclamationes, hinc perpetua obstupescentis amphitheatri admiratio.

Fabulas tot olim exceptas laudibus litterariæ Reipublicæ reddimus. Innocuos risùs, suavesque lacrymas, quas ciebat temperata quondam & ab excellentissimo dicendi magistro moderata actio, reddere non potest muta & iners papyrus. At oculatus quilibet facilè perspiciet quàm apta fuerit exercendæ adolescentum solertiæ totius scriptionis ratio. Quàm *fuerit* author in tradendis tùm bene vivendi tùm bene dicendi præceptis eximius dicent, ut ejusdem verbis utar, „ spectatores ex omni ordine lectissimi, „ quos non pigebat ad ejusmodi Theatra „ convenire, quos non tœdebat oculos „ & aures actoribus pusillis ac prope in- „ fantibus commodare, quos non pude- „ bat ridere cum ridentibus, flere cum „ flentibus & cum discentibus, si quid „ nescirent, discere. (a)

(a) In orat. de Theatro Tom. III. pag. 144.

INDEX FABULARUM

Quæ in hoc volumine continentur.

PÆzophilus sive Aleator, pag. 4

Pater amore vel odio erga liberos excæcatus, 125

Misoponus sive Otiosus, 207

Liberi in deligendo vitæ instituto coacti, 351

Philedonus, sive juvenis voluptarius à liberiore vitâ revocatus, 447

PÆZOPHILUS

PÆZOPHILUS;

SIVE

ALEATOR:

DRAMA-COMICUM.

ARGUMENTUM.

JUVENIS Parentibus orbatus, per ætatem juris sui factus, aleæ deditus, arte nullâ sanabilis, amissis paternis opibus, à Patruo exhæredatur; & in eo statuitur exemplum adolescentibus, quàm damnosa sit aleæ cupiditas.

PERSONÆ.

PÆZOPHILUS, Aleator.

CHRYSORIUS, Pæzophili Patruus.

CLEOBULUS, Pæzophili cognatus, & amicus.

PARMENO, Pæzophili servus.

ATYCHES, vir nobilis, ludo olim perditus.

PHILOCLES, filius Atychis.

GRYTARIOPOLA, Gemmarum, &c. Mercator.

ASTRAGALUS, Aleator.

MEGACHRYSUS, Civis opulentus.

MISARGYRIDES, Fœnerator.

ACESTES, Sarcinator.

PSEUDOLUS, Astragali servus.

ÆSCHROKERDES, Fœnerator, idemque creditor.

AGRIO, Villicus.

SCENA IN ÆDIBUS CHRYSORII.



PROLOGUS.

ANimis levandis multiplex ludi genus
Olim repertum est, laude nec caruit suâ
Quicumque reperit. Scilicet gratâ vice,
Ne frangat animos, ipse frangendus labor.
Sic Terra postquàm floribus prata induit,
Campos aristis, nemora frondenti comâ,
Opesque varias fertili eduxit sinu,
Tandem quiescit ipsa, seseque ad partùs novos,
Opera remittens, præparat dulci otio.
Sed ludus animis ille recreandis datus,
Errore nostro, ludus esse desinit;
Ludusque multis factus est animi furor.
Exigua non jam sumitur solido die
Particula ludo danda, sed totos dies,
Totasque noctes luditur; nec jam aleæ
Creduntur aliquot nummuli, victor sibi

Quos lætus habeat, non lucri, at palmæ
indices,
Quos victus æquo perditos animo ferat;
Nunc mensa recipit perfida immensas
opes,
Quas lucri amore prodiga immittit ma-
nus.
Urnâ fritillus quâlibet damnosior
Versat domorum fata crepitanti manu,
Ipsasque tali jactus evertit domos.

Fatalis hujus grande documentum aleæ
In Juvene misero ponimus. Poterant viri,
Senesque poterant hoc idem exemplum
dare;
Nam ludit ætas omnis, & ludo perit.
Verùm Juventam meliùs erudiet suo
Juvenis periclo. Quisquis es vir, seu se-
nex,
Casti ac severi quem bene oblectant Joci,
Casto ac severo, si vacat, ludo fave.





PÆZOPHILUS,

SIVE

ALEATOR.

DRAMA-COMICUM.

✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

PÆZOPHILUS, *ſedens ad menſam aleatoriis onuſtam inſtrumentis.*



RUSTRA ſomnum advoco. Amiſſâ pecuniâ, dormire eſt nefas . . . me miſerum! Tantùm pecuniæ mihi nocte unâ periiſſe! Heu! Fortuna perfida! Fatalis alea! *Arripit talos, inquietis oculis eos intuens.* Nam quid talis ineſſe dixerim, quod jaciente me ſemper

cadant pessimè! Væ vobis tali perfidi! *Talos indignabundus projicit.* Pereat malè, qui vos in perniciem hominum primus repetit!

SCENA SECUNDA.

PÆZOPHILUS, PARMENO.

PAR.

QUID isthic rerum agis, here?

PÆZ. *fritillum tenens.*

Perfide fritille!

PAR.

Quid tibi ultrà cum armis mortiferis?

PÆZ.

Quid tibi vis, furcifer?

PAR. *à parte.*

Fausta salutatio, *herum alloquens*, tibi mihique volo bene: volo te des quieti, & me..

PÆZ.

Aufer te isthinc, & quiesce.

PAR.

Nullam quietis partem possum capere, dum tu nihil somni capis, dum te vigilando eneas.

PÆZ.

Hora quota est?

PAR.

Manuale horologium inspice.

PÆZ.

Quid ais, verbero?

PAR.

Ignosce, non memineram te illud heri . . à alea . . .

PÆZ.

At ego te faciam memorem, homo facete.

PAR.

Quæris hora quota sit. Sol interrogandus est. *Ad solem respicit.* Ab ortu solis, tuoque occasu, hora est secunda vel tertia.

PÆZ.

Bene est. Nemone ad me venit, interea, dum hîc somnum opperior?

PAR.

Venit Mi . . . Mi . . . Misargyrides nescio quis, à te vocatum qui se diceret.

PÆZ.

Neque vocavi hominem, neque novi.

PAR.

Dixit se rediturum.

PÆZ.

Redeat, abscede tu, & omitte me.

PAR. *herum intuens.*

Here.

PÆZ.

Ahy! neque dormire possum, neque vigilare.

PAR.

Here, utinam te in isto, quod illic adfuit, speculo inspiceres! Ut te vultûs tui pœniteret! Ut ipse te vix agnosceres, adeò marcent genæ, livent oculi!

PÆZ.

Etiam hîc resistis?

PAR.

Ne vivam nisi tam horridus es, tam luridus, quàm ille bigis alligatus, qui capite inverso circa muros urbis trahebatur in isto opere Flandrico acu picto, quod hujus cubiculi parietes vestiebat, antequam illud . . .

PÆZ.

At credo vis salsus videri? hominum insulsissime . . .

PAR.

Me tam pulchrè macerasti, ut sanè me insulsum esse oporteat.

PÆZ. *oculis & gestu servo minitans.*

Ego te . . . . nisi abis ocyùs. . . .

PAR.

Quò me vis abire?

PÆZ.

In malam crucem.

PAR.

In malam crucem? Oh nondum quidem; sed abeo in malam culcitam, quandoquidem monita non audis; & ibi dormiam, dum tu vigilas.

PÆZ.

Hei mihi! mille me exedunt ægritudines; neque quid agam, vel quò me vertam, scio. . . . Heus Parmeno.

PAR. *in post-scenio.*

Quid me revocas?

PÆZ.

Adesdum.

PAR.

Adsum.

PÆZ.

Collude mecum.

PAR.

Ego tecum ludam? Cum hero servus?

PÆZ.

Sic volo. Sic jubeo.

PAR.

Quin potius collude tecum.

PÆZ.

Mecum?

PAR.

Ita tecum. Certet dextera cum sinistrâ.

PÆZ.

Accede, inquam.

PAR. *sedem admovet timidè, ac præ reverentiâ procul à mensâ, transverso & obliquo corpore, insidet.*

Quo certabimus pignore?

PÆZ.

Depone, quod habes.

PAR. *manum peræ admovens.*

Tantumdem habeo pecuniæ, quantum dedisti . . . omnino nihil.

PÆZ.

Quod tibi debeo mercedis, id aleæ committito.

PAR.

Id jam commissum est, non per me quidem, & amissum. Itaque . . .

PÆZ.

Age: talos ingere, & mitte.

PAR.

Ego prior?

PÆZ.

Obsequere.

PAR.

Obsequor. At uni tibi cadet alea. *Talos emittit: sexdecim exhibentur puncta.* Sexdecim, hoc vince si potes.

PÆZ. *Vicissim talos emittit, & puncta exhibentur octodecim.*

Heus vide, numera.

PAR.

Tersena puncta. Here, vicisti; accipe.

PÆZ.

Ut me ludificatur fortuna insolens! quia, quod auferam, nihil est, jam blandiri cœpit.

Mensam istam amove. *Surgit Pæzophilus.*

P A R. *mensam removet.*

O si tam prosperè cecidissent nocte supremâ tesseræ, quàm bene tecum, mecumque actum foret! Haberes unde turmam equitum & apparatum castrensem emeres. Ego te secutus fuissem in castra. Ibi rem uterque nostrûm fortiter gessisset. Tu cum vivis, ego cum mortuis quos egregiè spoliassem: nam me sentio ad bellica natum facinora.

P Æ Z.

Heu me! Quis erit Patrui sermo?.. Sermonem mitto, quis animus? Quis sensus? Quis dolor? cùm de pecuniâ mutuò acceptâ, ludo perditâ, audiet?

P A R. *ad januam accedens.*

Here, Patruum loquentem audio, . . cum Cleobulo accedentem video. Hic animis opus. Age: congredientem acriter sustine.

P Æ Z.

Præsentem ferre non valeo.

P A R.

Quò abis?

P Æ Z.

In conclave me recipio. Tu illic excuba, ne quis pedem inferat.

P A R.

Tibi nempe Ducis partes sumis, ut decet; mihi officium militis & periculum relinquis,

ut fieri ſolet. At enim ſi de pecuniâ, ſi de turmâ equitum Patruus verba fecerit, quid reſponſi dabo?

PÆZ.

Quod libuerit.

PAR.

Appropinquat hoſtis: pavet animus: nam hoſtis ille vivit. Pavorem diſſimulemus ſomno, & dormiendo vigilemus. *Oſcitans ſedet.*

SCENA III.

CHRYSORIUS, CLEOBULUS, PARMENO.

CHRYS.

ADEST Pæzophili ſervus, adeſt Parmeno. Illum interrogabo.

PAR. *reſupinus & pandiculans quaſi ſemiſopitus reſpondet.*

Quæ... quæſo vos. Lo... loquimini demiſſâ voce.

CHRYS. *vocem intendens.*

Nam quid demiſsè loquar, ubi clamoribus eſt opus?

PAR.

Vocem, inquam, deprime, ne mihi ſervo miſero ſomnum abrumpas.

CHRYS.

Id cavendum ſcilicet! Ubi herus tuus? Ubi luſit? *Parmenonem excutit, eumque à ſomno excitat.* Ubi pernoctavit?

PAR. *adhibitâ ſalutatione incompoſitâ, ne evigilet herum nutu Chryſorium admonet.*

Illic pernoctat de die; illic cubat; illic dormit.

CHRYS.

Dormit, cùm vigilare oportuit! Quâ horâ domum rediit?

PAR.

Oh! maturo tempore; vix adeò prima lux appetebat.

CHRYS.

Maturè, primâ luce.

PAR.

Neque verò, ut aulici quidam viri, noctes dieſque ſomno conjungit. Ipſis forenſibus viris multò vigilantior eſt.

CHRYS.

Vides, Cleobule, ut ille ſe ad meliorem recipiat frugem, qui noctes peragit foris, qui . . .

CLEOB.

Occurrunt interdum ſodalitates ejuſmodi, unde te haud facilè explices.

PAR. *à parte.*

Nobis quotidie occurrunt.

CHRYS.

Dic illum ita implicatum esse ludo, ut explicare se nequeat, vel nolit. Sed veniamus ad rem. Age, Parmeno. Tu aderas heri cum Pæzophilo, pecuniam à Geronte cùm petiit mutuam, & accepit.

PAR.

Aderam præsens, & præsentissimus.

CHRYS.

Cur autem petiit?

PAR.

Id rogas? quasi verò nescias.

CHRYS.

Bene arguis. Sat scio. Ut luderet nempe.

PAR.

Id cave suspiceris, à quo is abfuit longissimè.

CHRYS.

Quorsum igitur?

PAR.

Ut equitum turmam emeret, quomodo jusseras.

CHRYS.

Quomodo jusseram? Nunquam hoc jussi modo. Et illam emit?

PAR. *vultu inquieto & anxio.*

He! nondum planè rem transegit.

CHRYS.

Quandonam igitur?

PAR.

He! . . . Non satis liquet.

CHRYS.

Quid ita?

PAR. *dolorem simulans.*

Quia magnum invenimus infortunium!

CHRYS.

Jam-ne pecuniam aleæ commisit? Dic, age, dic, loquere.

PAR.

At noli quæso vociferari, ne, ut mihi, sic illi somnum excutias.

CHRYS.

Vix me contineo quin conclave irrumpam: & illum . . .

PAR. *opposito corpore Chrysorium ab ostio removet.*

Ho . . . Ho . . . Ne sævi tantopere.

CLEOB.

Nondum audivisti quid narrare velit Parmeno.

CHRYS.

Jam sentio, jam video, lusit de meo, qui ultrà non poterat de suo.

PAR.

Ludum loqueris. Atqui minimè ludus fuit, sed concertatio gravis.

CLEOB.

Quin igitur narrare pergis, quod cœpisti?

PAR.

Dum ad præfectum equestris turmæ sedulò pergimus, cum præsente pecuniâ, in prædones incidimus.

CHRYS.

In aleatores videlicet.

PAR.

In prædones prædatores. Illi herum comiter adoriuntur primùm, mox armis infestis petunt. Ille, quoad licet, resistit. Manu movet arma, oculis fulgurat, voce intonat, cœlum ipsum territat, ut facilè intelligas qui vir sit, qualis bellator futurus: *à parte.* (Si bella unquam gerit.) Quid multa? numero victus est. Omni pecuniâ spoliatus. Meâ tamen operâ eductus è prælio, domum integris vestibus & incolumis rediit.

CHRYS.

Vah! juvenem perditum!

CLEOB.

Illius sanè dolenda sors.

CHRYS.

Dic illius culpam omni supplicio dignam.

CLEOB.

Quod in prædones inciderit, non culpa, sed casus fuit.

CHRYS.

Tu illum, credo, velis defendere. Non intelligis quid narret Parmeno.

PAR.

PAR.

Vera certè narravi, in prædones incidit, prædonibus præda factus est.

CLEOB.

Hoc cuivis potest accidere, hoc mihi, hoc tibi.

PAR. *à parte.*

Non item mihi: nam . . .

CHRYS.

Omitte, Cleobule, factum excusare pessimum, id neque postulat quæ tibi cum illo intercedit amicitia, neque cognatio.

CLEOB.

Si quid malè gessit, nolim excusare quidem, sed neque accusare velim, si quid fortunâ & casu accidit.

PAR.

Optimè tu, nam solo fortunæ crimine est miser.

CHRYS. *sedens, stante ad dexteram Cleobulo.*

Heu me infortunatum patrem, & infelicem patruum. Pater fui; gnatus mihi obtigit unicus, unicè dilectus; pravis sodalitatibus sese applicuit; frustra revocavi. Voluptatibus se dedit, animi & corporis vires miserè afflixit, brevi occidit, ætate fermè puer, jam flagitiis senex. O nate! . . . justis da veniam lacrymis. . . . Illo extincto in filium fratris demortui amorem totum transtuli meum,

hunc habui pro filio, educavi pro meo, amavi, dilexi. . . .

CLEOB. *Chrysorii sedili innixus.*

Et certè amari dignus fuit, ingenio, naturâ, indole, pudore, comitate, suavitate.

CHRYS.

Fuit quidem amari dignus, fuit.

CLEOB.

Et est.

CHRYS.

Fuit, inquam: omnes quas commemorasti dotes una corrupit aleæ cupiditas; & ex suavi iracundum, ex hilari morosum, ex liberali sordidum fecit.

PAR. *à parte.*

Illum describit graphicè.

CHRYS.

Ex quo ipsum aleæ incessit furor, urbanitatis, amicitiæ, humanitatis etiam officia negligit omnia.

CLEOB.

Amat te, & colit, hoc scio: Tu mihi crede.

CHRYS.

Factis credo. Amat me scilicet, qui ex quo juris sui per ætatem factus est, consilia, preces, minas, monita spernit mea; qui diu noctuque aleatoria circum fora cursitat; quem vix habeo præsentem domi, nisi cùm ex-

[illegible] crumena deficit; qui me quotidie solicitat, angit, & curis cruciat amarissimis; qui modò pecuniam meo sumptam nomine profudit . . . .

P A R.

At ego nunquam dixi profusam ab illo pecuniam.

CHRYS. surgit, manu Parmenoni minitans;

Id etiam negas, mendaciorum artifex?

SCENA IV.

PÆZOPHILUS, CHRYSORIUS, CLEOBULUS, PARMENO.

PÆZ. egrediens è conclavi ut ad pedes patrui accidat.

ID frustra neget, quod ego apertè confiteor; en me reum fatentem sisto.

C H R Y S.

Quid ais, Parmeno?

P A R.

Nihil : neque . . . .

P Æ Z.

Sin te jussi mendacia instituere, perfide?

P A R. citò recedens.

Vah! si me unquam tuâ causâ mendacem argueris, occidito.

CHRYS.

Egregia verò pœnitentia, peccatum si quis tunc oderit, cùm peccare ultrà nequit!

CLEOB.

Peccare ne ultra velis, facit quandoque felix quædam calamitas.

CHRYS.

Serò pœnitet verè quem serò pœnitet.

PÆZ.

Pœnitentia sera quidem, at vera mea est.

CHRYS.

Numquam tu te ludo trades intemperantiùs?

PÆZ.

Nunquam, usquam.

CHRYS.

Quanquam multa peccasti hactenus, tamen isthuc si tibi certum, & animo fixum crederem. . . .

PÆZ.

Oh certum est; ratum est; hoc crede, hoc jurejurando, si vis, confirmabo. . . . .

CHRYS.

Nolo.

PÆZ.

Vis contester quidquid in cœlo sanctum est? . . .

CHRYS. *manum Pæzophili cohibens.*

Abstine; jam nimium sæpe cœlum onerasti

conviciis, & sacrum perjuriis obligasti caput.

PÆZ.

Per istum amorem erga me tuum quo nihil in terris mihi sanctius est, promitto, spondeo, juro. . . .

CHRYS. *iterum Pæzophili manum cohibet.*

Omitte, inquam, sacramentis adstringere te, quæ fallas brevi.

PÆZ.

Si fallo; si quam tibi do fidem, resolvo, de me quidlibet statue, me domo abige, expelle, abdica; atque, ut omnia uno verbo supplicia complectar, amare me desine.

CHRYS.

Pæzophile, quam in te legem statuas etiam atque etiam vide.

PÆZ.

Video.

CHRYS.

Illam si violaveris, ego non item.

PÆZ.

Illam si violabo, neque mihi per te ignosci velim, ipse neque ignoscam mihi.

CHRYS.

Accipio conditionem, atque ut ab aleâ recedas, te militiæ addicam quo nomine decet & loco.

PÆZ.

Quovis loco decet.

CHRYS.

Jam rei bellicæ administrum conveni, jam equitum magistrum adivi, nunc turmæ præfectum adibo, cum illo paciscar, & argentum ipsi de meo numeratum dabo.

PÆZ.

Te-ne, patrue, adeò clementem, adeò beneficum, liberalem, prodigum? ut.....

CHRYS.

Dum te à damnosâ libidine redimam, quolibet pretio bene redemptum putem.

PÆZ.


Quas tibi pro tali beneficio persolvam gratias?

CHRYS.

Beneficio rectè utere; hoc unum à te grati animi pignus volo.

PÆZ. *manum Chrysorii osculans.*

O patrue! Quàm merito tuo amo te!



SCENA

SCENA VI.

PÆZOPHILUS, CLEOBULUS.

CLEOB.

QUÆ repentina morum animique conversio, Pæzophile?

PÆZ.

Illam miraris, Cleobule?

CLEOB.

Admodum.

PÆZ.

Et ego pariter miror. Sed multa ſunt, quæ antequam fiant, fieri poſſe negaveris.

CLEOB.

Quamdiu eſt, ex quo te iſto prope inſanabili morbo purgatum volui! Quàm te ſanatum gaudeo! Magno quidem pretio tibi conſtitit ſalus; at dum convalueris, tanti eſt.

PÆZ.

Oh! convalui. Imo ex ægro jam fio medicus: ſi quem videris eâdem tentatum ludendi cupidine, illum deduc ad me, ipſum dictis ſalubribus probè curatum dabo.

CLEOB.

Quin imò, ſi quem videro eâdem contactum lue, illum à te abducam procul.

C

PÆZ.

Quid ita?

CLEOB.

Quia morbis animi (si suaves sint, vel fuerint) qui medetur, periculosam is medicinam facit; quia omnis cum pestiferis consuetudo pestifera est, maximè viris anteà peste afflatis.

PÆZ.

Erras, Cleobule, erras; venenum ipso vires amittit usu. Ego sum Mithridates alter; nullum jam mihi virus nocere potest.

CLEOB.

Venena tamen fuge; &, quod facere solent, qui ex morbo convaluerunt, cibos assume cum delectu, qui sapiant pariter, & nutriant. Unum aliquod vel multiplex studii & exercitii genus elige, quo te oblectes, dum te bellicus exerceat labor.

PÆZ.

Nam quo me studio delectari velis?

CLEOB.

Vis unà mecum audire concentus musicos? Privatas in ædes conveniemus, aderunt amici, alii cantûs, alii fidium periti.

PÆZ.

Omitte. Non placet symphonia, non sapit auribus iste vocum, fidium; ima, summa, media simul canentium strepitus. Ista voca-

bulorum modò lentè, modò præcipitanter, ſæpe promiſcuè occurrentium, recurrentium, concurrentium colliſio..

CLEOB.

Atqui tamen ſapit multis.

PÆZ.

Non mihi.

CLEOB.

Vis urbaniorum hominum feſtivis intereſſe circulis & confabulationibus?

PÆZ.

Apage inficeta illa otioſorum hominum ineptias conferentium colloquia; illas confabulationes tædii & oſcitationis plenas: iſthæc ſane mulierculis & *Marchionibus* noſtris oblectamenta ſuade, non viris....

CLEOB.

Quod viros delectat, ſuadeo. Placet villas & domos elegantiores in ſuburbiis poſitas ambulando, equitando inviſere? famem & ſitim eundo colligere, utramque cibo levare modico quidem, ſed jucundo, quia foris, quia fortuito, quia raptim & quaſi furtim ſumpto vel oblato.

PÆZ.

Nam quid ego quæram extra urbem ædium elegantiam, cùm ipſa urbs paſſim offerat? quid comeſſationes foris expetam, cùm poſſim habere domi? quid famem & ſitim cur-

rendo elaborem mihi, cum utramque vel sedenti natura objiciat?

CLEOB.

Neque placebit venatio?

PÆZ.

Nempe surgam bene mane, toto discurram die, totus sudore diffluam, luto conspergar aut pulvere, ut quadrupedes ego bipes consequar; he! si palato arridet ferina caro, ematur argento, non labore infinito comparetur.

CLEOB.

Pæzophile?

PÆZ.

Quid est?

CLEOB.

Amice!

PÆZ.

Quid me respicis?

CLEOB.

Intuere me.

PÆZ.

Intueor.

CLEOB. *leniter Pæzophilum palpans.*

Mihi crede, nondum convaluisti bene.

PÆZ.

Illud verò undenam arguis?

CLEOB.

Stomachus omnes qui respuit cibos, etiam humore vitioso est gravis.

P Æ Z.

Tu me amorem aleæ nondum abjeciſſe cenſes?

C L E O B.

Cenſeo.

P Æ Z.

Ego me proceelloſo, toties naufragus, iterum credam mari?

C L E O B.

Id prorſus metuo.

P Æ Z.

Cleobule, ne metue. Aleam tam odi malè, quàm amavi perditè; atque ut ipſi aperta profitear odia, juvat in aleatores ſatyram ſcribere.

C L E O B.

Tu in aleatores ſcribes ſatyram?

P Æ Z.

Maximè. Illorum vitia novi omnia.

C L E O B.

Multa te docuit uſus.

P Æ Z.

Verſiculos olim ſcriptitavi non inficetos.

C L E O B.

Scio.

P Æ Z.

Vel ſi natura neget, faciet indignatio verſum.

CLEOB.

Vale, amice, satyram scribe, sed exerendo stylum in aleatores, vide ne ipse te confodias.

PÆZ.

Si qua mihi fortè inferam vulnera, hæc mihi salutem afferent.

SCENA VII.

PÆZOPHILUS, *solus.*

JUVAT, certè juvat illam insectari aleæ cupiditatem, quam parit avaritia, quam comitatur furor, cui sæpe fraus adjungitur, quam vulgò egéstas sequitur. Aleatorum juvat describere spes falsas, terrores veros, brevissima gaudia, longissimos dolores. Musam aleatorias circum mensas deducam. Illic varia notabit pugilum arma, vultus, oculos, motus, fremitus, clamores; rugitus, aut altum & ipso furore pejus silentium . . . Adeste carminibus desueti pugillares, adeste; *Tabulas è perá extrahit.* Et amarulentos versus excipite. Tuque, style auree, ferrum indue, & acumen cruentum exere. Atenim quis ille homo se nobis improvisò huc intulit ?

SCENA VIII.

PÆZOPHILUS, MISARGYRIDES.

MIS.

HODIE bis ad te venio. Jamne licet alloqui?

PÆZ.

Licet.

MIS.

Tibi ſalutem offert familiæ tuæ addictus; parenti olim tuo amiciſſimus Miſargyrides.

PÆZ.

A Miſargyride quamvis mihi nondum anteà viſo vel cognito ſalutem libenter accipio.

MIS.

Non me noſti? non vidiſti? quem heri allocutus es, à quo in tuâ clade nocturnâ opem popoſciſti; illic . . . apud . . . hem . . . non meminiſti?

PÆZ.

Ita mente captus eram & oculis, ut quos, vel quâ de re alloquerer, non ſatis reſpicerem.

MIS.

Dolui ſane, & doleo te iſtâ tam liberali facie, tam bonis & ingenuis moribus, tam adversâ uti fortunâ.

PÆZ.

Humaniter facis, aliena qui doleas infortunia; ſed in eam deveni calamitatem, unde non poſſim emergere; eo ſum natus ſub ſydere, cui cum bonâ fortunâ nihil congruat.

MIS.

Sapiens dominabitur aſtris. Tu fortè arbitrio fortunæ permittis omnia; tu illam arte non regis.

PÆZ.

Fortunæ permitto, quæ fortunæ ſunt; neque ibi artem adhibeo, ubi artis uſus non eſt.

MIS.

Eſt quædam ratio componendi talos & mittendi aptè . . . ſolerter . . . induſtriè . . . la . . .

PÆZ.

Uno verbo fraudulenter. At ego falli poſſum, nequeo fallere; & malim perire alterius fraude, quàm meo quiſquam pereat dolo.

MIS.

Næ tu iſtâ probitate tuâ dignus es, quem feciſſe miſerum fortunam pœniteat; neque tanta virtus poteſt non eſſe felix aliquando.

PÆZ.

Si felix eſſe poſſem, jam fuiſſem. Sed virtute nullâ fortunæ pertinacia vincitur.

MIS.

Vincitur conſtantiâ. Multos adeò vidi,

quos illa miſeriis diu conflictatos reſpexerit tandem & ad ima detruſos, repente præter ſpem, ad ſumma provexerit.

PÆZ.

Vidiſti multos?

MIS.

Imò plurimos, & vita ſi ſuperabit mihi, plures videbo. Hoc uſu quotidiano venit. Hoc juveni optimo heri accidit, qui beneficio utebatur meo.

PÆZ. *à parte.*

O ſi me fortuna iſti addat numero! ſed nolit perfida...

MIS. *abire ſe ſimulans.*

Sentio me tibi gravem ac moleſtum adveniſſe. Itaque...

PÆZ.

Mane tantiſper. *A parte.* Quid ſi aleam experiar vel ſemel? ... ſemel dico. Nam illi ultra me dedere, neque lubet, neque licet. At ſi ſemel .. ſi tantùm ſemel, ne fortunæ videar deeſſe, adeſſe illa ſi velit.

MIS.

Valere te, Pæzophile...

PÆZ.

Manedum, obſecro. *A parte.* Quàm me fortuna citò perdidit, perditum recreare tam citò poteſt.

MIS.

Aliò me res vocant. Neque . . .

PÆZ.

Resiste paululùm. *A parte*, si fortuna mihi faveat, ædes & prædia, quæ ignaro patruo vendidi, fortè recepero. Si recipiam, ab ejus iracundiâ metuam nihil. Tum bene aleæ dicam æternum vale; tum aleatoria deponam arma victor, uti decet, non victus, quod dolet.

MIS.

Tibi meliùs esse cupio, vale.

PÆZ.

Expecta, quæso. Mene vis & potes juvare?

MIS.

Possum per amicos, &, si voles, volo.

PÆZ.

Sed ne me juvando jugules.

MIS.

Non me nosti, sat scio. Neque is ego sum, qui ex alienis ærumnis lucrum velim facere: neque tu is es, qui ex alienis opibus debeas damnum pati. . . . Tu per ætatem jam in tutelam venisti tuam, nonne?

PÆZ.

Mei sum juris. *A parte*, & alieni æris.

MIS.

Isti debetur ætati reverentia. . . Tu Chrysorii hæres proximus?

PÆZ.

Et unicus.

MIS.

Magna prædicas. Magni faciendus es. Chrysorius iste dives est?

PÆZ. *subirascens.*

Ditissimus.

MIS.

Tecum profectò agendum est clementissimè... Chrysorius vultu quidem sanus est, sed minùs tamen firmâ dicitur uti valetudine.

PÆZ.

Debili admodum est pectore, & crudo stomacho.

MIS.

Id certè mihi dolet: nam est ille bonus vir. Tibi verò opera nusquam deerit mea. Tantùm velim reputes, quanta sit hodiè rei nummariæ difficultas.

PÆZ.

He! nimiùm scio & sentio.

MIS.

Amici quorum tibi opem spondeo non sunt illi quidem quæstûs avidi, sed beneficia tamen sua amant bene collocare, apud gratos videlicet & cum gratiâ.

PÆZ.

Mitte verborum ambages. Pecuniam quanti vendis?

MIS.

Facis contumeliam; neque ego. . .

PÆZ.

Intelligo quid peccaverim. Verbo ſum lapſus; de amicis tuis dictum oportuit. Age, iſti amici quinam ſunt, ubi ſunt? . . . prodeant.

MIS.

Illos cave ſic natos, vel inſtitutos putes, quomodò amicorum vulgus, qui beneficia jactantiùs prædicant. Id ſtudent iſti maximè benefaciendo, ut lateant. Proinde, tibi ſi bene fieri velis, ſequere me tacitè; &, quà deducam, veni.

SCENA IX.

PÆZOPHILUS, MISARGYRIDES, PARMENO.

PAR. *à parte.*

QUID iſthic agit cum hero meo iſte Mi, Mi, Miſargyrides? è fœneratorum grege recoctum aliquem ſuſpicor.

PÆZ. *poſt brevem deliberationem.*

Jacienda eſt alea: properemus.

PAR.

Here.

PÆZ.

Quid me appellas?

PAR.

Juſculum paravi tibi . . . juſculum mirificè conditum.

PÆZ.

Abſiſte cum tuo veneno.

PAR.

Salubre eſt: proderit capiti.

PÆZ.

Tu mihi loquacitate tuâ obtundis caput.

PAR.

Me'n ſequi vetas?

PÆZ.

Veto.

PAR.

Parebo. Nihil facilius. Juſculum ſorbillabo, nihil ſuavius. Stomachum irrigabo, nihil ſalubrius. Tum ſi ſomnus placidè obrepſerit, illum benignè admittam oculis; & quieti me dabo, dum ſe iſti mitiſſimo vulturi herus eviſcerandum dabit.





ACTUS II.

SCENA PRIMA.

PÆZOPHILUS.

PÆZ. *Theatrum ingreditur peras excutiens ut tinnientis argenti sonus audiatur.*

O Bona! ô felix! ô suavis alea! heus Parmeno! ... nullusne creditorum sequitur? Parmeno! ... si me nummatum scient, protinus omnes advolabunt ... Parmeno!

SCENA II.

PÆZOPHILUS, PARMENO.

PAR. *respondet in postscenio quasi derepente à somno excitatus.*

QUIS me vocat?

PÆZ.

Ubi delitescis, mastigia?

PAR. *oculos sopore gravatos manu perfricans.* Adsum.

PÆZ.

Excuba vigil ad fores, & omnes quotquot pecuniam petent, à limine ſedulus amove. Audis? *ſervum vellicando expergefacit.*

PAR.

Ahy! audio & ſentio. Vigilabo, & vigilare quidem malim, quàm his illepidis per ſomnum turbari ſomniis.

PÆZ.

Quid ais lepidum caput?

PAR.

Aio objectum eſſe mihi modò ſomnium minimè lepidum, quia vidi te . . .

PÆZ.

Quia vidiſti me, illepidum fuit ſomnium, ſcilicet?

PAR.

Quia vidi te aleâ perditum, ære alieno oppreſſum, bonis exhauſtum omnibus, alienâ vix vitam tolerare miſericordiâ.

PÆZ.

Somnia, Parmeno, ſomnia.

PAR.

Sua ſomniis aliquando conſtat fides.

PÆZ.

Somnia, inquam; mera. Vicimus: fortuna jam noſtra eſt. Vicimus hem . . . audi, *crumenam excutiens ex argento tinniente ſonos exprimit.*

PAR.

O ſuavem ſonum! audiam quæſo iterum; *aures arrigit ut ſuaves excipiat ſonos.* O dulcem ſymphoniam! Illam, credo, exceperunt creditores tui; trahuntur ſoni dulcedine. Illos properantes video.

PÆZ.

Illos abige, dum illic numerabo partam ludo pecuniam.

PAR.

Abigam. Tu modò pactam mihi mercedem numeres.

PÆZ.

Factum puta.

PAR.

Fieri volo.

PÆZ.

Fiet.

PAR.

Illis dabo verba, tu mihi nummos dabis.

PÆZ.

Dabo.

PAR.

Abi ſecurus. Tua expediam nomina, quomodo ſua ſolent viri nobiles.



SCENA

SCENA III.

PARMENO, ACESTES, GRYTARIOPOLA, ÆSCHROKERDES.

ACESTES.

PÆZOPHILUS est-ne intus?

GRYT.

Pæzophili an datur alloquendi copia?

ÆSCHR.

Pæzophilo, præter salutem, aliquid dictum velim.

PAR.

Pæzophilus, Pæzophili, Pæzophilo. At omnes huc, opinor, de compacto confluitis.

ACESTES.

Pæzophilum aiunt meditari castra.

PAR.

Quid tum?

ACESTES.

Antequam se det in viam, volui. . . .

GRYT.

Velim ego. . . .

ÆSCHR.

Volo. . . .

PAR.

Quid velitis scio. Ipse vobis abundè fieri

Pæzophilus velit. Hanc mihi dedit provinciam, & ærario me præfecit suo. At nolite, quæso, unà concurrere, sed alter ab altero succedite.

ACESTES.

Ego accessi primus: neque per negotia moram ferre licet.

PAR.

Æquum restumque postulas, Aceste, primus venisti, primus abibis. Vos pauxillulùm abscedite.

SCENA IV.

PARMENO, ACESTES.

PAR. *accedit ad mensam Pæzophili, & sedet ceu Publicanus.*

CEDO libellum. Videamus rationum nomina.

Pro 4. ulnis panni è cineraceo albescentis nonaginta libræ Francicæ . . . hon . . .

Item pro 7. ulnis panni tenuioris intrinsecus assuendi quadraginta libræ. Ah! . . . Item pro limbis auro Parisiaco intextis centum viginti libræ. Item . . . item pro alterâ veste opere contextâ elegantissimo . . opere elegantissimo, sic omnia prædicas quæ vendis, vel facis.

ACESTES.

Nihil certè iſtâ veſte vidiſti elegans & concinnum magis.

PAR.

He! non illa planè quidem inelegans.

ACESTES.

Vix unam Lutetiæ reperias parem; atque adeò nullam dixerim, ſi non vidiſſem nuper venalem alteram ſimilem.

PAR.

Vidiſti?

ACESTES.

Ita vidi.

PAR.

Similem?

ACESTES.

Omnino ſimilem. Illam Pæzophilus non gerit. Illâ potuit ornatus oculos in ſe convertere omnium & elegantis cultûs viros omnes vincere.

PÆZ.

Illam reſervat caſtris. Illic veſtes habendæ ſunt ſplendidæ. Illæ ad virtutem bellicam faciunt haud parum. Olim rigebant ferro noſtri bellatores. Hodiè fulgent auro. Aureos verè nunc habemus duces. Pergamus ultra. *Item . . . item . . . item pro Parmenonis veſtibus ſexaginta nummi.* Quid, malum! pro

isto ſago vel potiùs ſacco ſexaginta nummos petis?

ACESTES.

Sagum appellas? adſtringe globulos. Vide quàm, (*Parmenonis veſtem concinnè accommodat*) aptum ſit ad ſtaturam, quàm habile! quàm graphicè te deceat.

PAR.

Non iſta induſtriæ tuæ laus eſt, ſed hujus ſtaturæ elegantis, concinnæ & ad dignitatem appoſitæ. *Incedit ſeſe eleganter circumſpiciens.*

ACESTES.

Statura quidem elegans & gracilis; ſed ipſa veſtis ad elegantiam corporis exacta.

PAR.

Ut palpat molliter! ... Nolo tibi litem movere, Aceſte. Huc denique ſumma ſummarum redit. *Bis mille ſeptuaginta novem libræ, ſex aſſes, novem denarii Francici.* Nihilne ſubducendum?

ACESTES.

Ne teruntius quidem.

PAR.

Quoniam ita conſtant rationes, nihil reſecabitur (*ſcribit in tergo chartæ luſoriæ, quæ unius Regis effigie inſignitur*) *Aceſtæ debentur bis mille ſeptuaginta novem libræ, ſex aſſes, novem denarii Francici.* Abi.

ACESTES.

Quam tu mihi chartam offers?

PAR.

Chartam regiam & Cæſaream. Reſpice.

ACESTES.

At pecuniam volo.

PAR.

Vis pecuniam?

ACESTES.

Maximè.

PAR.

Bene te novit Pæzophilus, qui te pecuniæ avidum dixit non ſemel.

ACESTES.

Bonâ illius veniâ dixerim; eſt ille quàm ego lucri cupidior, qui diu noctuque aleæ periculum facit, qui ludit. . .

PAR.

Ludit animi causâ.

ACESTES.

Scilicet . . . mihi crede, niſi propoſitum eſſet lucrum iſtis aleatoribus, temperarent ludo, vel potiùs abſtinerent. Ego pecuniam arte quæro & labore, ut vivam, illi ſorte & ſæpe fraude, ut abundent.

PAR. *à parte.*

Apud nos quidem nihil redundat.

ACESTES.

Quòd mihi si notus bene fuisset Pæzophilus, nunquam illi dedissem operam.

PAR.

Noli stomachari, Aceste, vis pecuniam? dabitur.

ACESTES.

Detur modò.

PAR.

Modo! modo! an ignoras tritum illud adagium: Nemo dat quod non habet.

ACESTES.

Quæratur certè.

PAR.

Quæretur.

ACESTES.

Et inveniatur.

PAR.

Invenietur. Brevi militatum ibimus. Cum hoste confligemus. Illum castris exuemus. Capsam nummariam excipiemus. Argenti & auri multum auferemus; inde tibi certa comparabitur pecunia & computabitur. Vale.

ACESTES.

At. . . .

PAR. *Acesten versùs januam deducit.*

At nihil certius.

A·CESTES.

Sed. . . .

PAR.

Sed . . . tranquillus esto : & cave mussites, aut cæteris quidquam indicaveris. Succede, Grytariopola.

SCENA V.

PARMENO, GRYTARIOPOLA.

PAR. *sedens brachiis cruribusque decussatis in morem Publicani molliter considentis.*

LEGE codicem istum, lege.

GRYT.

Primò. Pro speculo octoginta pollices alto, quadraginta septem lato, libræ ducentæ Francicæ supra mille. Non video amplius istud speculum.

PAR.

Erat illud monstrificum & mendax; me semper inflatum buccis; vultu impudentem & improbum, herum facie tristem & iracundum exhibebat. In eo soli se amabant adolescentes polituli, quos tamen puellis & pupis similes effingebat. Displicuit ejusmodi speculum. Herus pulchrè iratus confregit illud & comminuit. Perge porrò.

GRYT.

2°. *Pro vasis fictilibus Sinicis quadraginta libræ Francicæ.* Nullum jam ex illis cernitur. An ea pariter confregit?

PAR.

Illa certè conterere mihi sæpe fuit impetus. Quid enim poculis opus, quorum nullus sit usus; sed isthæc vasa Sinica mutavimus cum scyphis Gallicis, quos non pigmentis versicoloribus, & micante auro illuminamus. Perge ad reliqua.

GRYT.

3°. *Pro signis fusilibus quatuor æneis, libræ Francicæ octoginta supra mille.*

PAR.

Nunquid præterea superest?

GRYT.

Duo supersunt capita. 4°. . . .

PAR.

Ostende codicem. Rationes inspiciam ipse, & expendam.

GRYT.

Quònam verò illa transtulit signa quæ ornando huic cubiculo petierat.

PAR.

Quæris quò transtulerit . . . illa traduxit in Academiam nescio quam, & viris Academicis talium rerum studiosis dono dedit.

GRYT.

GRYT.

In Academiam inquis! Ergo in Academiam numiſmatum?

PAR.

Numiſmatum vel nummorum, ut libuerit.

GRYT.

An ex illâ eſt Academiâ?

PAR.

Ex Academiis omnibus eſt. Has omnes ſuis ditat opibus.

GRYT.

Munificus reverà fuit olim Pæzophilus. Nunc verò cur creditores differat, neſcio. An deeſt *illi* pecunia?

PAR.

Semper adeſt & quidem plurima; ſed militiam cogitamus. Militiæ jure utimur. Libellum recipe.

GRYT.

Quod mihi militiæ jus prædicas?

PAR.

Æs alienum ſerò diſſolvimus. Hoc militiæ jus eſt.

GRYT.

Iſtud hercle jus injuria eſt.

PAR.

Cave dixeris, quæ te bonum civem neque loqui, neque ſentire omnino decet.

GRYT.

Non video.

PAR.

Vide. Annon Respublica rei privatæ anteponi debet?

GRYT.

Fateor.

PAR.

Qui militiæ dat operam, nonne dat operam Reipublicæ?

GRYT.

Neque istud nego.

PAR.

Opera militiæ an dari potest sine armis, sine equis, sine vestibus, aliisque id genus instrumentis prope innumeris?

GRYT.

Haud equidem puto.

PAR.

An ista militiæ instrumenta comparari queunt sine pecuniâ?

GRYT.

Expecto quorsum evadas.

PAR.

Jam illuc perveni. Ergo jus postulat pecuniam primùm concedi militiæ, hoc est Reipub. postremò creditoribus.

GRYT.

At si totam Reipublicæ conceditis pecu-

niam, in rem meam cedet nihil.

PAR.

Erras, Grytariopola, erras. Nam qui modò è re privatâ facimus publicam, mox è re publicâ privatam faciemus. Non intelligis?

GRYT.

Qui modò è re privatâ facitis publicam; mox è publicâ privatam facietis. Iſtud haud ſanè planum eſt.

PAR.

Explanabo. Poſt æſtiva hiemabimus. Nonne?

GRYT.

Credo equidem.

PAR.

Hyberna quàm nobis quæſtuoſa fore putas?

GRYT.

Haud ſatis aſſequor.

PAR.

Scies. Abi modò cum libello, & poſt hyberna nos conveni.

GRYT.

At longa mora eſt.

PAR.

Statim redibis.

GRYT.

Interea verò...

PAR.

Interea bene ſperabis.

GRYT.

Atqui vivendum eſt.

PAR.

Qui ſperat, nonne vivit?

GRYT.

Verùm.

PAR. *Grytariopolam violenter foras trudit.* Verùm ... averte vultum & ne reſpectes. Ingrèdere, Æſchrokerde.

SCENA VI.

PARMENO, ÆSCHROKERDES.

PAR.

QUAM habes hîc chartam in manibus?

ÆSCHR.

Syngrapham à Pæzophilo datam.

PAR.

Illam cedo : .. Atenim ut aduncos habes digitos! quonam tibi morbo laborat manus?

ÆSCHR.

Nullo.

PAR.

Nullo. Aliquis certè morbus articulos adduxit tibi. Vide'n?

ÆSCHR.

Sic natus sum.

PAR.

Natura sanè in te provida maturè fuit; sed illam credo adjuvit usus. Legamus. . . *Profiteor me ab Æschrokerde libras accepisse ter mille Francicas.* Libras ter mille!

ÆSCHR.

Omnino. Pæzophili manum agnosce.

PAR.

Agnosco . . . Ah memini, memini; nummos dederas ducentos cum nescio quibus quisquiliis; herus scripsit treoentos. Rediisti paulò post cum syngraphâ, libras scripsit mille. Rediisti sæpius, & eò tandem res rediit, ut mille nummos debeat . . . non . . . non petis pecuniam, Æschrokerde.

ÆSCHR.

Non admodum; neque sum tam durus, ut. . .

PAR.

Expectabis facilè.

ÆSCHR.

Jam expectavi, &, si lubet, expectabo.

PAR.

Credo equidem. Nam tibi lucrum est in morâ.

ÆSCHR.

Illam poſſim modò exigere pecuniam; & mutuam dare mercatoribus, qui in Indias proficiſcuntur.

PAR.

Nunquam facies; ſcis nullam eſſe totâ in Americâ fodinam, unde tantum haurias, quantum ex hac domo.

ÆSCHR.

At metuo ne exhauriatur.

PAR.

Illam quidem fodiunt multi, & confodiunt; at ſupplebitur.

ÆSCHR.

Unde.

PAR.

Quæris? ex militiâ. Per æſtiva quæremus gloriam; poſt verò ex militum & equorum ſupplemento quæremus pecuniam. Filios familias conſcribemus plurimos. Illos parvo ememus. Magno parentes redimcnt. Hinc adeò lucrum ingens & certum.

ÆSCHR.

Quid ſi per æſtiva Pæzophilus mortem obierit?

PAR.

Habes domi pignora, quæ nuper accepiſti; vaſa ænea & affabrè facta.

ÆSCHR.

Malim argentum, quàm iſtud æs fuſile.

PAR. *leniter palpans Æſcrokerden.*

Qui ex papyro tantùm auri confeciſti, ex ære argentum conficies facilè. *Reddit Syngrapham.*

ÆSCHR.

Syngrapham hanc referam proximâ die, ut addatur literula.

PAR.

Addam ſi vis tres literas quæ tuum cognomen efficiant: *à parte.* Nam tu es homo trium literarum.

ÆSCHR.

Hâc in re operâ nihil opus eſt tuâ. Ego : : tibi volo . . . bene eſſe . . . *fingit ſe velle aliquid dare Parmenoni, ſed nihil, præter ſudarium, è perâ extrahit, ſervumque ludificat.* Vale Parmeno, ſervorum optime.

PAR.

Vale, Æſchrokerde, fœneratorum turpiſſime, juvenum pernicies, populi fraus, omnium quantum eſt, qui vivunt, hominum homo omni ſupplicio digniſſime.

Nemone eſt, qui pecuniam flagitet præterea? Tres jam abſolvi creditores ſine pecuniâ. Quartum video, mihi ignotum quidem, ſed herus tot comparat quotidie, ut jam neque quid debeamus, neque quibus certò ſciamus.

SCENA VII.

ATYCHES, PARMENO.

PAR.

ACCEDE propius, quid times? pecuniam benignè largior omnibus.

ATYCHES.

Nescio quid velis.

PAR.

Ego quid petas scio.

ATYCHES.

Pæzophilum quæro.

PAR.

Et pecuniam.

ATYCHES.

Neutiquam: nequedum eò me adegit improba necessitas ut. . .

PAR. *à parte.*

Bene est, occurrit tandem vir probus qui nihil petat pecuniæ. *Ad Atychem*: Ignosce, quæso. Is ipse quem quæris est mihi dominus, homo æqui & recti apprimè tenax, qui nihil metuat magis, quàm ne quid cuiquam debeat; & pecuniam ultro potiùs obtrudat creditoribus (si qui sunt) quàm ab illis quidquam expostulari sinat.

ATYCHES.

Laudo mores domini probos. Ipsum, nisi forte molestum est, paucis velim.

PAR.

Illum monebo. Tu nomen edoce.

ATYCHES.

Nihil opus est meum resciat nomen. Ipsi me indicabo satis.

SCENA VIII.

ATYCHES, PHILOCLES.

ATYCHES.

SUCCEDE, Philocles, ingredere.

PHIL.

Ah! quàm laxæ sunt ædes istæ, pater! quantùm ab iis discrepat exigua, quam incolimus, casa!

ATYCHES.

Sat bene habitat, nate, qui cum virtute habitat. *A parte*, heu! ædem hâc ampliorem incolere debuit infelix adolescens.

PHIL.

Si bene memini, tu quoque hâc in urbe vixisti diu: quâ in regione urbis posita tibi domus fuit? ubinam illa est, pater?

ATYCHES.

Ex quo discessi, magna, uti dominorum, sic domorum facta mutatio est, nate. *A parte.* Mene domum avitam potuisse tradere in alienas manus!

PHIL.

Ex te, pater, audivi sæpius viros in aulâ degere nostri generis plurimos, an illos invises brevi?

ATYCHES.

Nunc equidem haud vacat. *A parte*: an meum illi ferant conspectum? illorum ipse an conspectum feram? ... En, credo, Pæzophilus. Compone te ad reverentiam, nate.

SCENA IX.

PÆZOPHILUS, ATYCHES, PHILOCLES.

PÆZ.

Tu is es, qui me vocari jubes?

ATYCHES.

Ignotus ignotum peto. Illum quæro, quem de turmâ equitum emendâ cum Neoptolemo egisse ferunt.

PÆZ.

Illum ipsum vides.

ATYCHES.

Beneficium primo aditu, congressu primo qui petit, rem insolentem facit; sed multa præter morem qui cogitur pati, aliquid contra morem facere potest. Me supplicem vides. . .

PÆZ.

Quin potius impera, si quid velis.

ATYCHES.

Nate, gressum tantisper amove. *Philocles secedit.*

SCENA X.

PÆZOPHILUS, ATYCHES.

ATYCHES.

SUPPLICEM vides, qui potuit olim videre supplices. Durum est fateri, fatebor tamen, dives fui. In urbe, in aulâ nomen gessi: nunc ruri obscurus, ignotus vitam traho. . . Ah!. .

PÆZ.

Doleo quòd in te fortuna posuerit levitatis exemplum suæ. Sed qui fortunæ culpâ miser est, non suâ, hic miseriæ parte levatur maximâ.

ATYCHES.

Utinam culpâ vacarem. Sed ita fortunam arguo, ipsum me ut incusem magis.

PÆZ.

Non tu ex illis es, quos aliena felicitas ærumnis immersit maximis; qui, quòd reliquos viderint auro ditatos Indico, dum opes amplas, spes ampliores infido credunt mari, utrasque simul amiserunt?

ATYCHES.

Fortunarum equidem naufragium feci, sed oceano procul. Neque me quæstum facere hac decuit viâ. Eo sum genere natus & loco . . . parco dicere.

PÆZ.

Hâc etiam viâ quæstum faciunt viri nobiles haud ignobilem. . . Neque tu illos imitatus es, qui equos, canes venaticos, impensis alunt grandibus, ferasque consectando agris & agricolis perniciem, sibi & rei domesticæ labem inferunt?

ATYCHES.

Venatum exerceo quidem; sed venatu cibum quæro, neque me tam eò voluptas impellit, quàm necessitas.

PÆZ.

Neque illud tibi contigit, quod viros nobiles ruri degentes sæpe perdidit, qui vicinos si habeant juris sui retinentes plus æquo, vel

alieni appetentes, jurgantur verbis, rem agunt lite vel ferro, alterutro pereunt, & vel profundunt vitam miserè, vel patrimonia in forum nunquam reditura ſtultè conferunt?

ATYCHES.

Cum vicinis maxima mihi ſemper fuit concordia; unus ipſe mihi infenſus fui. Unus me perdidi. Et quoniam mea exoptas ſcire infortunia...

PÆZ.

Da, quæſo, veniam. Imprudens forſitan ego fui nimium inquirendo. Sed alienos caſus audire hoc vulgò magis amamus, quò miſeramur magis.

ATYCHES.

Ne quære plura. Scire quod humanitus & humaniter cupis, ſcies. Me quâvis procellâ, quovis incendio peſtis immanior opibus everſit. Fortunæ meæ ad infamem alliſæ ſunt ſcopulum, qui multorum fregit, & deinceps franget rates, ... ad menſam aleatoriam ſcilicet.

PÆZ. *verbo commotus ac territus retrograditur.*

Quid ais?

ATYCHES.

Quod factum.

PÆZ. *ad Atychem accedit.*

Ergo te ventus ſemper adverſus tulit.

ATYCHES.

Ventus provexit nimium ſecundus, & in altum propulit, idemque aurâ me decepit ſuâ; cui dum indulgeo fidentiùs, ad ſcopulum impegi, naufragium feci, propè nudus vix emerſi. Statim collegi rei domeſticæ reliquias; urbe diſceſſi; ruri me abdidi; ibi cum familiâ ... omitte velle plura ſcire ... Meas narrare potui ærumnas, quas merui; meorum miſerias, quas feci, ne poſſim eloqui, lacrymæ prohibent & pudor.

PÆZ.

At illud ne taceas, à me quod velis auxilium dari.

ATYCHES.

Dicam. Eſt mihi filius ætate jam adultus, hunc, vel tacente me, natura generis admonet ſui. Juvenem tædet ruri vivere. Ardet ſibi nomen facere. Militiam expetit: illum deduxi ad Neoptolemum, cui jam grandi notus fuerat puer; ſperavi me ab ipſo aliquid poſſe filio impetrare, ſed turmam equitum vendere ſe ait, &, dum vendit, ſpes meas, niſi tu erigis, penitus affligit.

PÆZ.

Sperare te bene jubeo. Prodeat in conſpectum adoleſcens.

SCENA XI.

PÆZOPHILUS, ATYCHES, PHILOCLES.

ATYCHES.

Accede, nate, illi salutem impertire, per quem unum, si qua uspiam superest, tibi adveniet salus.

PHIL.

Salvere te, qui miseris opem ferre vis & potes, semperque felicem esse cupio.

PÆZ.

Te, adolescens candide, parenti optimo similem volo.

ATYCHES.

Meliora, quæso, loquere, exempla potius sectetur tua.

PÆZ. *gestu officiosam Atychis laudem abnuens.*

Ah! inest vultu ingenuum quiddam, & urbanum.

ATYCHES.

Qui rure semper vixit, haud sanè multum habere moris urbani potest.

PÆZ.

Qui te parentem & magistrum habuit, debuit mores induere ruri minimè rusticos.

ATYCHES.

Me magistro, gladium tractare, equum regere, Principem vereri, patriam amare, famam vitæ anteponere didicit; hæc illum docui maximè.

PÆZ.

Digna & magistro & discipulo doctrina. Nescio quid ore spirat, magnos unde spiritus arguas.

ATYCHES.

Habuit ille quidem, si meminisse fas est, habuit avos inter paternos, maternosque unde grandes animos traheret. De Polycleto exercituum legato audisti forsitan?

PÆZ.

Sæpissimè audivi; & semper cum laude.

ATYCHES.

Hujus avus fuit maternus. Nota tibi, opinor, Nicostratorum, Andronicorum nomina.

PÆZ.

Nota prorsus, & nostris annalibus consignata belli fulmina.

ATYCHES.

Hos inter avos numero, ille inter proavos.

PÆZ.

Talem juvenem, tali genitum patre, talibus oriundum majoribus prima belli munia decet appetere.

ATYCHES.

ATYCHES.

Olim decuerit; nunc verò haud quaquam licet. Contractis rebus, vota contrahimus simul. Voluntarios inter equites illum admittas precor; hoc unum erit satis, hoc unum oro.

PÆZ.

Iniqua poscis, quia minora petis. Illum certè subcenturionis munere in castris fungi par est.

ATYCHES.

Par quidem sit; nisi faciendis esset impar sumptibus. Quàm simplici cultu sit ornatus vides. Hunc tamen ut pararem aliis rebus parcendum malignè fuit. Satis itaque, dum meliora superi sinant, satis mihi & illi fuerit, si tuos inter equites tertium à te obtineat locum. Felix, vel dum egebit multis, illum si benigno interdum respicias lumine.

PÆZ.

Illum habebo quo numero decet, & loco.

ATYCHES.

Magistrum, ducem, patronum, nate, respice, venerare, ama, & si potes, imitare.

PHIL.

Illi me discipulum, militem, clientem, sponte ac lætus offero.

PÆZ.

Te mihi commilitonem, te in castris convictorem, te laborum & gloriæ comitem accipio lubens.

PHIL.

Duc me, duc quocunque libuerit. En adsum paratus quòlibet comitari, præire, vel sequi.

PÆZ.

Quid! per medios hostes?

PHIL.

Per medios enses, per medios ignes gladius hic inveniet viam, aut faciet tibi. *Ensem stringit.*

ATYCHES.

Quid agis, nate, vel loqueris? Ferrum recondе, linguam cohibe. *Ad Pæzophilum.* Tu, quæso, da veniam.

PÆZ.

Placet hic animus, placet hic sermo non veniâ, sed laude dignus. Dexteram junge, animose juvenis.

ATYCHES.

Dexteram osculare.

PÆZ.

Fidem jam nunc tibi adstringo meam.

PHIL.

Tibi hanc animam dedo.

PÆZ.

Te Chrysorio tamen patruo meo, qui in emendâ equitum turmâ, mihi operam impendit, sisti & offerri velim.

ATYCHES.

Sistam illum & offeram. Nec silebo uterque nostrûm quantùm debeat tibi : quantùm ille tuis debeat lætari moribus. Te semper valere Atyches pater, Philocles filius, ambo votis orant communibus.


PÆZ.

Ambo valete.

SCENA XII.

PÆZOPHILUS, *solus.*

ET hic sanè & ille dignus est, quorum me misereat; & certè miseret. Atqui *mutato nomine de me Fabula narratur*. Dives fuit Atyches. Aleæ rem & operam dedit; ex divite factus est pauper. Pol ! nimium bellè mecum ista congruunt omnia. Par fortuna, par culpa, par exitus. Quanquam hoc discrepat uterque nostrûm. Ille nullum ærumnis habuit perfugium suis. Mihi domus patrui opulenta portus est. In portu navigo.



SCENA XIII.

PARMENO, PÆZOPHILUS.

PAR.

HERE, creditores abegi omnes & abunde feci omnibus. Tu modò ſolve mercedem mihi, & abſolve te.

PÆZ.

Te miror, & amo Parmeno.

PAR.

Et meritò quidem.

PÆZ.

Miror quânam arte hominibus pecuniæ cupidis ſine pecuniâ feceris ſatis.

PAR.

Nihil facilius. Huic ex prædâ bellicâ, illi ex ſtatione hybernâ, tertio demum ex ſupplemento militum pecuniam certam certò promiſi.

PÆZ.

Quid ſi quartus adveniſſet creditor?

PAR.

Quartum reperiſſem aliquid, & obtruſiſſem. An mihi effœtum ceſſare ingenium putas?

PÆZ.

Quartum illud reperi, & pro mercede accipe.

PAR.

Ho! Si mea res agitur, nihil reperio; deficit ingenium; neque mercedem accipio id genus.

PÆZ.

Tu facilè tribus potuisti abundè facere, tu tibi facere uni non poteris satis?

PAR.

Non possum: sed creditores, quos dimisi, modò revocare possum; & faciam; nisi mavis uni dare pecuniam mihi, quàm simul illorum & meis verberari conviciis.

PÆZ.

Atenim quid mercedem hodiè poscis, quam tibi olim obtuli non semel, nec sumpsisti tamen?

PAR.

In promptu causa est. Olim Bacchum sequebar, tu fugiebas aleam. Ego nunc Bacchum fugio, tu aleam sequeris. Pecuniam servare non poteram, tu poteras; nunc minimè potes; possum ego maximè. En adeò cur mercedem olim renuerim, hodiè petam.

PÆZ.

Quoniam ita placet, numerabitur pecunia. Quot annos mihi in famulàtu ades? *Ambo ad mensam aleatoriam accedunt.*

PAR.

Sex annos quidem, ſed octo numerare jure optimo potes.

PÆZ.

Me ludis, credo : nam cur præter illos ſex, addantur duo.

PAR.

Quia ludis.

PÆZ.

Quia ludo !

PAR.

Maximè. Auſculta, precor. Duo ſunt anni ex quo ludis.

PÆZ.

Fateor.

PAR.

Cæteri famuli dant operam dominis diu vel noctu, alterutro tempore dormiunt. Ego tibi ab annis duobus ex quo diu noctuque ludis, operam do & noctu & diu. Duplicato famulatûs tempore, duplicanda igitur merces.

PÆZ.

Cave ne tibi duplicentur verbera, ridiculum caput.

PAR.

Agedum, mercedem pro annis ſex integris pende integram.

PÆZ.

Age tu : quantum tibi debeo ?

PAR.

Istâ computatione facilius nihil. Centum libras pepigisti Francicas in annos singulos, sex anni sunt, sexcentas planè libras exigo.

PÆZ.

Optimè tu quidem, sed ex summâ id omne detrahendum est, quod surripuisti mihi.

PAR.

Ego nihil hercle surripui tibi. Te quidem pecuniâ emunxerunt sæpe famuli; sed illi videlicet famuli picti, hastati, vel malè condati, Hectores, Parides. . . .

PÆZ.

Accede, numera. . . . Ut exultas!

PAR.

Placet iste color. Quinque . . . decem . . . nimium properas.

PÆZ.

Nimium moror. Hic sunt nummi centum numerati & probati, hos habe.

PAR.

Nihilne præterea?

PÆZ.

Nihil.

PAR.

Alterum tantum debes.

PÆZ.

In præsentia id unum dabo, ut discas uti. Vide hoc tibi ne pereat,

PAR.

Ne metue. *Secedit in angulum.* Numerabo ipse, hâc in re nemini tam credo, quàm mihi.

SCENA XIV.

CLEOBULUS, PÆZOPHILUS PARMENO *in angulo.*

CLEOB.

BELLATOR noster, salve.

PÆZ.

Quam mihi salutem offers?

CLEOB.

Bona verba, amice. Equitum turma jam tua est. Pecuniam numeravit patruus; Neoptolemum vocavit ad prandium; venit; ades tu, & nobiscum asside.

PÆZ.

Non amo prandia id genus prolixa.

CLEOB.

Qui sæpè ludo noctes dedisti integras, horam patruo & amicis unam non dabis aut alteram? sequere me.

PÆZ.

Quid fiet à prandio?

CLEOB.

Quod videbitur. Propera.

PÆZ.

Ahy!

CLEOB.

Quid respicis? Ne facias moram.

PÆZ. *ægrè & iniquo animo obsequens.*

Facio quod jubes.

SCENA XV.

PARMENO.

PAR. *pecuniam in pileo numerans.*

NONAGINTA quinque, nonaginta sex; nonaginta septem, nonaginta octo, nonaginta novem, centum nummi. O si totidem herus addidisset! quanquam ex hac summulâ, si bene collocata sit, ingens fieri pecunia potest. Multi Parmenones ex tantillo ad summas creverunt opes. . . . Quò igitur intendam animum, aut quò argentum conferam? Primum videbo ne quid in vanos sumptus abeat. In aleam certè ibit nihil, non imitabor herum, qui . . . Vah! divitem esse me oportuit; divitiis quàm forem usus bene!



SCENA XVI.

PSEUDOLUS, PARMENO.

PSEUD. *in Parmenonis complexum involans.*

PARMENONEM video. He! quomodo vales, rerum dulcissime?

PAR. *secedens & nummos occultans.*

Bellè, sed quæso te. . .

PSEUD. *insidians Parmenoni.*

Sic reducem tanto pòst tempore accipis? Sine, amabo te, in complexum involem.

PAR. *fugiens insidiantem Pseudolum.*

He! noli propiùs accedere.

PSEUD.

Vah! quàm superbus es! méne fugis?

PAR.

Neutiquam.

PSEUD.

Non me nosti, credo. Jam oblitus es mei.

PAR.

Oh! novi te, Pseudole, cum istâ tuâ vulpinâ facie, novi te.

PSEUD.

Et amas?

PAR.

Admodum.

PSEUD.

Patere igitur quod *Marchiones* nostri palam inter se & passim factitant, patere te complectar & fraternè osculer.

PAR.

Dixi jam, & interdixi ne me velis attingere.

PSEUD.

Nam cur?

PAR.

Transi ad sinistram, & latus dexterum attingas cave.

PSEUD.

An dolet tibi?

PAR.

Ut pera intumuit! vide.

PSEUD.

Istud si vis onus excutio tibi, & in me recipio; ita amo te.

PAR.

Illud ego retinebo sedulus, ita mihi à te metuo.

PSEUD. *insidiari desinit.*

Pecuniâ abundas, amice: tibi gratulor.

PAR.

Mihi gaudeo. Unde tu autem?

PSEUD.

Ex villâ quò herum adegerat clades aleatoria; sed copias rure supplevimus. Redimus ad

pugnam certi vincere, aut. . . ;

PAR.

Aut? . ;

PSEUD.

Aut fame emori.

PAR.

Dignam aleatore ſortem ! ubi autem tuus iſte Aſtragalus?

PSEUD.

Stat illic præ foribus, ubi ſodalis occurrit vetus. Præmiſit ille me, ut quærerem num . . Subit.

SCENA XVII.

ASTRAGALUS, PSEUDOLUS, PARMENO.

ASTR.

PARMENONI ſervo ſervorum lepidiſſimo & pinguiſſimo fauſta ſint omnia. Ubi herus? ubi noſter Pæzophilus?

PAR.

Menſæ aſſedit modò.

ASTR.

Ipſum aiunt ad caſtra profecturum brevi.

PAR.

Ita creditur.

ASTR.

Mone, quæso, adesse hîc amicum, qui pauca eum ipso verba facere quamprimum velit.

PAR.

Utrum huc prodire possit dubito.

ASTR.

Ipsum venisse juverit; quod suâ intersit audire, audiet. Ipsum, inquam, mone.

SCENA XVIII.

ASTRAGALUS, PSEUDOLUS.

ASTR. *à parte.*

PÆZOPHILUM, quoniam nummatus est, oportet aleâ rursum implicem.

PSEUD. *à parte.*

Parmenonem, quoniam pecuniâ onustus est, oportet ludo aut vino expugnem.

ASTR.

Nec antè dimittam, quàm ejus marsupium exenterem.

PSEUD.

Nec prius exibit à me, quàm ipsum gravi, quo laborat, onere, quâvis arte, levaverim.

ASTR.

Nam mea niſi alterius damnis reparem incommoda, me ſumma brevi egeſtas opprimat.

PSEUD.

Nam ex alienâ incuriâ niſi fructum mea capiat ſolertia, me ſitis extemplò enecet.

ASTR.

Quid ais, Pſeudole? quid iſthic tecum reputas?

PSEUD.

De fortunis noſtris cogito.

ASTR.

Pol! quorſum evadat omnis quæ ludo creditur pecunia, haud ſcio.

PSEUD.

Id tamen ſcire proclive eſt. Sciunt illi apud quos luditur.

ASTR.

Omnino id eſſe mihi videtur alea quod mare: illuc fluvii undique confluunt aurei; nec redundat tamen.

PSEUD.

Mihi forum aleatorium id planè videtur eſſe quod forum litigioſum. Illic pecunia fermè omnis ad callidos alienæ ſtultitiæ adminiſtros abit.

ASTR.

Hem, ſt: tace. Ecce quem volo.

SCENA XIX.

PÆZOPHILUS, ASTRAGALUS, PSEUDOLUS, PARMENO.

PÆZ. *mantile gestans quasi egressus à prandio ad quod brevì rediturus.*

ASTR. *ruens in amplexum Pæzophili.*

PÆZOPHILUM faciant superi beatum.

PÆZ.

Astragalo fausta precor omnia.

ASTR.

E prædiis rusticis me recentem vides, ubi me detinuit aliqua res familiaris.

PÆZ.

Mirabar te ab hoc nostro foro abesse tamdiu. Te chartæ lusoriæ absentem desiderabant; te fritilli languido murmure revocabant. Nam absente te omnis friget alea.

ASTR.

Te præsente semper calet. Tu illius tutela, præsidium, decus. Tibi primas ultro concedo. Mihi secundas obtinere sat est. Ut obtineam redeo; & me tibi adversarium imparem, raró victorem, sæpius victum, hodie vincendum offero.

PAR.

Solos nunc hoſtes vincimus.

PÆZ. *ad Parmenonem.*

Tun'audeas obloqui? *Ad Aſtragalum.* Nondum prandiſti?

ASTR.

Quid prandium loqueris? nobis ludere vivere eſt. Fauces tamen caffæo prolui. Expectat me in illo foro Panoletri proximo lecta ſociorum turma. Illuc convolo.

PÆZ.

Non tu morari tantiſper potes?

ASTR.

Non poſſum, & ſocios, quibus condixi, fortè jam nimiùm moror.

PAR. *herum extremâ manicæ parte ad ſe attrahens.*

Here, expectant te convivæ.

PÆZ.

Mantile hoc recipe. *Dat mantile Parmenoni.* Petaſum cedo & gladium.

PAR.

At. . .

PÆZ.

Affer ocyus . . . *Ad Aſtragalum.* Præi, Aſtragale, jam te ſubſequor, & ſtatim aſſequor.

ASTR.

Pſeudole, ſequere. *Pſeudolus progreditur;*

mox Parmenonem expectaturus, in theatrum redit.

PAR.

En petasus . . . en gladius . . . sed cogita. . .

PÆZ.

Omitte monita, furcifer.

SCENA XX.

PARMENO, PSEUDOLUS.

PSEUD.

NON tu te mihi comitem dabis & combibonem?

PAR.

Apage te. Nolo pecuniam bene partam malè perdere. Illam fœnerari volo.

PSEUD.

Illam fœnerari vis?

PAR.

Quàm maximè & quamprimùm.

PSEUD.

Laudo consilium. Si vis, homines dabo continuò, quibuscum facias quæstum in horas singulas maximum.

PAR.

Ubi sunt?

PSEUD.

Docebo. Herum consequor meum, tu tuum sequere, & ad nos veni.

SCENA XXI.

PARMENO.

FORTUNA te vocat, Parmeno: vocantem ne fuge: ditesce, quandoquidem potes; hoc primum. Deinde fies ex servo dominus, ex plebeio nobilis. Mutabis nomen & genus. Aut additâ nomini literulâ, ex Parmenone fies Parmenio, illius Parmenionis nepos, de quo memini me legere, cum libros herus nondum vendidisset suos. Eamus & jam vultu, gressu, spiritu, mentiri discamus virum nobilem. Hem ... hem ... *Hab.tu corporis, gestu, nutu, atque ipsâ tussi virum nobilem imitatur.*





ACTUS III.

SCENA PRIMA.

CHRYSORIUS, CLEOBULUS.

CHRYS.

QUID esse suspicer, Cleobule, quòd ita se repente convivis & convivio subduxerit *Pæzophilus*?

CLEOB.

Aliquid fortè gravioris negotii subitò intervênit, nullam quod admitteret moram.

CHRYS.

Ipsi crumena si foret argento gravis, quò se proripuerit conjectura sit facilis, nec dubia.

CLEOB.

Amico fortasse cuipiam opera danda continuò fuit.

CHRYS.

Tune illum rixæ alicujus delectum adjutorem putas?

CLEOB.

Non is est Pæzophilus, qui amicos in re adjuvet malâ; sed is est, qui sponte, sicubi opus est, promptam opem ferat.

SCENA II.

AGRIO, CHRYSORIUS, CLEOBULUS.

AGR.

AN licet, bonâ veniâ. . .

CLEOB.

Adest nobis Agrio, ni fallor.

AGR.

Salutem illi, tibi, vobis.

CHRYS.

Ingredere, Agrio, ingredere. Quid affers novi?

AGR.

Pol! magna nobis advênit calamitas.

CHRYS.

De illâ nempe calamitate loqueris, quam agris & pascuis intulit diuturna superioris anni siccitas. De illâ nempe loqueris procellâ, quæ nuper terrâ maríque incubuit, & magnam Franciæ partem pervagata agris agricolisque perniciem intulit.

AGR.

De illâ loquor, quæ advecta ex urbe vestrâ apud nos resedit. Nam Pæzophili villam ex quo tempore vendidisti? . .

CHRYS.

Quid ais ?

CLEOB.

Quid narrat ?

AGR.

Aio nobiſcum agi peſſimè, poſtquam villa iſta in alterius venit manus.

CHRYS.

De quâ villâ loqueris ?

AGR.

De illâ ad Sequanam poſitâ quam poſſedit frater tuus, vir. . . Ah ! cùm memini, fauces obſtringit dolor, nec poſſum temperare lacrymis, nam fuit ille bonus vir. De illâ, inquam, villâ, quam tu cum latifundiis vendidiſti, commodo, credo equidem, tuo, at magno certè noſtro omnium malo.

CHRYS.

Villam ego nullam cuiquam vendidi.

AGR.

Ergo adminiſtratorem miſiſti, omnia qui ageret pro arbitrio, & everteret.

CHRYS.

Neque adminiſtratorem miſi.

AGR.

Neque vendidiſti, neque miſiſti. Bene eſt. Illud ſcire anteà nos oportuit. Sed iſtum prædonem, alienam qui tam protervè invaſit domum, ejiciemus brevì.

CHRYS.

Expecta.

AGR.

Vah! quibus illum reversus excipiam modis?

CHRYS.

Mane tantisper, & rem uti acta est, omnem à principio fac ut sciam.

AGR.

Faciam. Undenam autem dicendi principium sumam? . . . teneo; accipe. Pecunia ex annuis fructibus debita quomodo, ineunte Januario, præsente te, numerata sit Pæzophilo, habes in memoriâ.

CHRYS.

Habeo.

AGR.

Itaque nihil tibi ultra, vel illi debuimus; Intelligis?

CHRYS.

Intelligo.

AGR.

Sexto vel octavo pòst die advenit vir amplus, magno cum strepitu, longo comitatu, quadrijugo curru, cum equis phaleratis, phaleris ipse ornatus suis. Audis?

CHRYS.

Audio.

AGR.

Stabam præ foribus, Ille me per famulum evocat. Nego adesse te, dico abesse Pæzophilum. Ille se factum ait prædiorum & villæ dominum; claves petit. Abnuo; minitatur ille, vim parat. Quid facerem? huic ego dedi. Statim homo imperiosus omnia gerere pro arbitrio; agros feraces infœcundis arboribus conserere; hortos designare ad delicias; ædes veteres disjicere, moliri novas; in fronte scutum gentilitium apponere . . . tres . . . ni fallor, tres . . . fun[illegible]s gestat in scuto, Sed nihil ad rem. Nam apud nos ut quisque dives est; ita suo fit nobilis arbitrio.

CHRYS. *à parte,*

Audax facinus!

AGR.

Oh! est hominum multò audacissimus omnium iste Pseudogenes; nihil veretur. Omnes pagi incolas verbis & verberibus malè accipit. Dum nos enecat fame, lautè vivit, & uni vivit sibi. Ego credidi, quod affirmabant omnes, illum reipsa villæ dominum. Nam quî suspicio potuit injici, aliena quemquam tam impudenter invadere ausum bona? Sed quod malè absorpsit bene evomet. Illum adibo; omnes circùm incolas & accolas convocabo, & ipsum stringam. . .

CHRYS.

Consilia omitte stulta; & quod ferendum est, fac patienter feras.

AGR.

Hominem mendacem, perfidum, alieni prædonem prædii feramus? non ita. Dum vivet Agrio, nunquam ille rem, quæ tua est, fecerit suam.

CHRYS.

Illum onerare probris abstine; quod credidisti priùs illum esse villæ dominum, id nunc multò magis credito. Illam scilicet vendidit Pæzophilus.

AGR.

Vendidit? consilio igitur vel jussu tuo?

CHRYS.

Amat ille in urbe vitam degere; illum ruris piget; aut hujus fortè pœnituit villæ, quod hinc paulò abesset longiùs.

AGR.

Factum malè. Nam illa fuit amœna, magnis olim posita sumptibus, ab ejus patre diligenter exculta. Tu, obsecro, si fortè ad nos diverteris æstate proximâ, istum Pseudogenem mone, ut nobiscum agat humano more, & se hominem hominibus dominari sciat.

CHRYS.

Monebo.

AGR.

Vale tu, & ille. Ambo bene vivite.

SCENA III.

CHRYSORIUS, CLEOBULUS.

CHRYS.

DOLOREM, quamdiu iste hic adfuit, compressi sinu; at nunc prodeat, & effundat se oportet. Est quod de Pæzophilo conquerar nimium quidem: at de te, Cleobule, conqueri etiam licet, qui amicum à tanto flagitio non abduxeris, qui me saltem non monueris illicò.

CLEOB.

Nam quo illud potui modo consilium prævertere, cujus non fui particeps? aut quî admonere te facinoris quod hactenus latuit mihi?

CHRYS.

Superi! nihili pudere juvenem, se postquam aleæ dedit? Omnem pecuniam sibi quam reliquerat moriens pater, jam perdidisse? ornamenta quibus ornata hæc fuit domus, quæ vel ipsi dederam vel emerat de meo, quæcunque auferre potuit, abstulisse? nec satis!

etiam prædium vendidiſſe optimum? quanti verò? Scire nil refert, qui quantum quantum ex illo accepit pretii, totum id projecit malè.

SCENA IV.

CHRYSORIUS, MEGACHRYSUS, CLEOBULUS.

MEG.

AMBOS ſalvere jubeo.

CHRYS.

Salvus ſis, Megachryſe.

MEG.

Opportunè te, Chryſori, præſentem habeo.. Eſt enim in quo conſilium expoſcam tuum.

CLEOB.

Me fortaſſe hinc abſentem velis?

MEG.

Immo conſiſte, Cleobule. Pauca te, Chryſori, ſuper illis ædibus, quæ fratris tui fuerant, rogitem ſine.

CHRYS.

Quas loqueris ædes?

MEG.

Illas ædes amplas in proximo ſtantes fere altis porticibus inſtructas. Stupes? illas annon deſigno ſatis?

CHRYS.

Satis ſuperque. Quid autem de illis interrogas?

MEG.

Nunquid in iis lateat vitii? an malè ſint materiatæ? an parietes malè coagmentati, aut minùs ſolido impoſiti ſolo? id verò ſcire intereſt meâ; neque tu apertè & candidè, id, opinor, dicere abnuas?

CHRYS.

An tu illas ædes velis conducere?

MEG.

Quin potiùs emere velim, & aliis locare.

CHRYS.

Pæzophilus illas an decrevit vendere?

MEG.

Non ille quidem. Neque verò bis vendat idem. Sed is venales proponit, qui ab illo nuper emit.

CHRYS.

Quis ille verò?

MEG.

Qui contiguam illis ipſis ædibus habet ædiculam; vir toto corporis cultu ſordidus, & dives auro, qui . . . qui . . . quomodo appellas? neminem noſti magis.

CLEOB.

Harpagus fortaſſe?

MEG.

Ipſe Harpagus. Is ad me venit hodie, & quia mihi numeratam heri pecuniam audiit, illas ædes obtulit. Timui, ne, qui tam citò ex emptore fiat venditor, (nam emit à diebus quindecim) timui, ne quid fortè adverterit vitii; venio ad te, & quæro, num ædes illas me tutò poſſe credas emere.

CHRYS.

Hac de re Pæzophilus, qui habuit & vendidit, melius docere te poteſt.

MEG.

Quod dederis, id ego ſponte conſilium ſequar.

CHRYS.

Ipſum, inquam, alloquere Pæzophilum.

MEG.

Illum aiunt abeſſe. Sed redibo, & alloquar. Vos ego morari pluribus nolim. Ambo ſalvi & hilares vivite.

CHRYS.

Megachryſe, vale.



SCENA V.

CHRYSORIUS, CLEOBULUS.

CHRYS.

VIx ſum apud me. Ita diſcrucior animo! ita me alius ex alio nuncius obruit. Neque tu de illâ venditione quidquam inaudiſti prius?

CLEOB.

Ne vivam, ſi quid audivi, aut ſi qua oborta ſuſpicio fuit.

CHRYS.

Perfidum, infandum caput! Quod mihi præſens utinam detur modo!

CLEOB.

Quò pergis?

CHRYS.

Quoniam furit ille; me juvat inſanire, & illum palam quærere, palam alloqui.

CLEOB.

Quin potiùs expecta, dum ille ſe referat domum: dum tuus reſidat paululùm dolor, & ille tempeſtivis corrigi monitis queat.

CHRYS.

Quid tempeſtiva loqueris monita? corrigi an etiam poteſt, qui ſe fortunis ipſe ſpoliavit

omnibus, qui me jam ſpoliat meis? Nam à Geronte quam accepit heri pecuniam, illam oportet Geronti reſtituam, ſi liberalis fungar officium viri, & fungar. At iſtum profligatorem opum ulciſcar probè.

CLEOB.

Peccata ſunt iſta, fateor, & gravia quidem, ſed venia hodie per te data illi fuit.

CHRYS.

An ea ignovi, quæ ignoravi? quæ ille clam me fecit, quæ me dolo celavit malo; quibus nec ulla dari venia, nec jam ullum afferri remedium poteſt.

CLEOB.

Quod reſtat unum, id præſtat. Aleam abjicit; militiæ ſe addicit, cùm novo generè vitæ mores meditatur novos.

CHRYS.

At ego jam meditatum habeo, quod de illo ſumam ſupplicii genus.

CLEOB.

Succedit aliquis. Hos animi motus preme.



SCENA VI.

CHRYSORIUS, CLEOBULUS, ATYCHES.

ATYCHES.

ITERUM molestus ad te venio.

CHRYS.

Semper commodè advenis, si quid operâ tibi opus est meâ.

ATYCHES.

Miserum, infelicem, luctu exanimatum vides, & ideò miserrimum, quia beneficio non licet uti tuo.

CHRYS.

Nam cur? eloquere.

ATYCHES.

Ego te cum filio adivi mane; illum tu paterno excipis animo, bene sperare de te & de Pæzophilo jubes. Recedo spe recreatus optimâ: quoscunque offert mihi fortuna obvios, notis, ignotis officia commemoro tua. De te, de Pæzophilo, quæ sentit animus, lingua profitetur palam. De te mihi assentiunt omnes; de illo quoque. Sed illud audio tamen, ipsum damnosæ deditum aleæ. Me quondam aleâ perditum memini: illud statim cogito. Quid

si filius cum aleatore aleam multò, quàm militiam addiscat magis? id timui, fateor, & timeo. Timori ignosce. Nimio damno timere didici. Sentio, dum illam, quam offers, opem fugio, spem mihi omnem perire funditus. Sed malo sperare nihil, quàm filio omnia metuere. Illum itaque rus mecum invitus invitum retraho. Superos, quos mihi jure iratos video, tibi usque propitios precor. Vicem meam dole & vale.

CHRYS.

Atyches, resiste. Corde quos recipis metus, haud equidem improbo. Laudo magis. Sed quam in me spem habuisti positam, ne abjicias. Ubi natus?

ATYCHES.

Illic stat in angulo, & lucem fugit.

CHRYS.

Quin jubes ingredi?

ATYCHES.

Illum pudor retinet, & dolor.

CHRYS.

Ne pudeat, veniat.

ATYCHES.

Perditum luctu, madidum fletu videbis.

CHRYS.

Vel sic vidisse juverit.

ATYCHES.

Succede, Philocles, te patre ipso melior patronus jubet subire.

SCENA

SCENA VII.

PHILOCLES, ATYCHES, CHRYSORIUS, CLEOBULUS.

CHRYS.

COMPRIME hos fletus, infelix adolescens, meliore dignus sorte.

ATYCHES.

Accede propius. Et accede ad hujus pedes.

CHRYS.

Non patiar.

PHIL. *ad pedes Chrysorii procidens.*

Te quæso misereſcat mei.

CHRYS. *Philocli, ut ſurgat, manum præbet.*

Quid agis? te'n decet?

ATYCHES.

Illum decet, quod fortuna imperat, & jubet pater.

CHRYS. *iterùm Philocli manum præbet.*

Surge, inquam, non genibus ſed collo manus admove. Quid vultum dejicis? reſpice me. Ego te gratiâ & re adjutum volo.

PHIL.

Méne meliora per te ſperare liceat?

CHRYS.

Licet, omnino licet.

PHIL.

Per te dabitur majorum premere vestigia & sequi?

CHRYS.

Dabo: ne dubita. Quid tuâ causâ velim facere, & possim scio. Id faciam, confide.

PHIL.

Jam me ad vitam revocas.

ATYCHES.

Jam me non pigeat mori.

CHRYS.

Vive, Atyches, vive; & spe optimâ plenus ad tuos revertere.

ATYCHES.

Per te revocatus ad vitam, domum ad meos redeo. Istum quandonam ad te reduci jubes?

CHRYS.

Ipsum, donec à me rebus instructum omnibus militia excipiat, apud me domi meæ in oculis meis cupio manere, & si merui, exigo.

ATYCHES.

Id cupis, id exigis?

CHRYS.

Mora non erit longa.

ATYCHES.

Stupet animus, hæret lingua, neque quod hic sentit, illa potest eloqui.

CHRYS.

Patrem amplectere, Philocles, & dicito vale.

PHIL. *amplectens patrem.*

O pater amantissime, bene vale.

ATYCHES *filium amplectens.*

O fili carissime, bene vive, & bene age. Per me factus es miser. Per illum fies beatus. Utrum magis amare te deceat vide, & ama illum magis.

PHIL.

Est hic, est animus utrique amando par; utrique faciam satis.

CHRYS.

Interiùs subi, Philocles, & quiesce.

PHIL.

Tibi (patrone dicam, an pater) obsequor.

SCENA VIII.

CHRYSORIUS, CLEOBULUS.

CHRYS.

QUANTAS familiæ clades alea importet, vides, Cleobule?

CLEOB.

Video & doleo.

CHRYS.

Ergo & mirari desine, quòd Pæzophilum genere nobilem nemo admittere in familiam velit. Nulla est nimirum tam bene fundata opibus domus, quam non aleator ludendo evertat brevì: hei mihi! alienis hoc exemplis an non didiceram satis; si non & ipse Pæzophilus exemplo docuisset suo? qui rem, qui famam, tam citò perdidit; quem illi fugiunt ipsi ejus ope qui indigent; qui (quod in miseriâ reputo miseriarum maximam) qui nemini, etiamsi velit benefacere jam potest.

CLEOB.

Strenuus est, audax pectore, fortis manu. Famam ille bello colliget, & lapsas opes multâ compensabit gloriâ.

CHRYS.

Difficilè famam colligit, qui multum jam collegit infamiæ. At ecce nobis furcifer servus redit.

SCENA IX.

CHRYSORIUS, CLEOBULUS, PARMENO.

CHRYS.

UNDE tu homo frugi?

PAR. *oculis errantibus, frendens, quasi homo perditus & amens.*

Unde nolim.

CHRYS.

Ubi herus?

PAR.

Nuſquam gentium.

CHRYS.

Quid ais?

PAR.

Periit.

CLEOB.

Superi! quid narras? an occidit?

PAR.

Non.

CLEOB.

Quid ergo?

PAR.

Periit, inquam.

CHRYS.

Ambigua pergis eloqui, ſceleratum caput!

PAR.

Vis me vera loqui & perſpicua?

CHRYS.

Volo, jubeo.

PAR.

Quod minùs apertè loquerer increpuiſti mane; quod nimis apertè loquar, dolebis modò.

CHRYS.

Aperta loquere.

CLEOB. à parte.

Quàm metuo.

CHRYS.

Etiam moraris?

PAR.

Nil moror. Herus & pecuniam ingenti ſumptam fœnore, & equitum turmam per te coëmptam ſibi aleæ commiſit modò, & malè miſerè omnia omnino perdidit.

CHRYS.

Satis eſt.

PAR.

An ſatis apertè?

CLEOB. ad Chryſorium.

Quò te repentè ſubducis?

CHRYS.

Sine me...

CLEOB.

Quæſo te, clementer age.

CHRYS.

Clementiam omnem flagitiis evicit ſuis.

CLEOB.

Pauliſper ſiſte, dum iſte ſe frangat impetus.

CHRYS.

Omitte me. Indignum quod ſe fuit, id egit: quod me dignum eſt id agam.

SCENA X.

CLEOBULUS, PARMENO.

CLEOB.

UBI herus? age, loquere.

PAR.

Vicino in foro.

CLEOB.

Duc me, duc ad illum ocyùs.

PAR.

Ductore nil opus. Perge in funestam illam Panoletri domum; ibi est, sicubi est.

CLEOB.

Eò me conferam illicò & miserum extraham.

PAR.

Abi. Ego hîc mecum aliquid negotii perficiam interim.

SCENA XI.

PARMENO *solus.*

BENE est: solus sum; oculis & auribus vacat hic locus. Agenda res strenuè. *Vestem exuit, deponit petasum, pugnis se contun-*

dit, capillos & aures ipsas sibi vult avellere. Ah! Parmeno, scelerate Parmeno, nummos centum perdidisti, nec vitam projicis? projiciam confestim, & laqueo collum inseram. Claudendæ primum & obserandæ sedulò fores, ne quis molestus operi interveniat, & me interpellet malè. *Occludit fores.* Nunc autem . . . quis me vocat? . . . heu! nemo est. Nunc autem trabs eligenda, ex quâ sublime corpus pendeat commodè. *Trabes considerat, ut eligat unam.* Illa, ni fallor, paulò depressa est nimis. . . Ista videtur altior. . . Hæc verò convenit; ex illâ pendebo à terrâ sublimis, quantum decet. . . Atenim cognatis & affinibus probrum inferam . . . dolebunt . . . Doleant, *Projicit comam ascititiam, linteumque colla protegens*, dum ego jam doleam nihil. . . Neque Parmenonum è gente vitam laqueo primus finiero. Si vel sua, vel carnificis manu pereundum est, præstat perire suâ; meâ peribo. *Videt an quis promineat in tabulatis clavus.* Hei mihi! quæro num hæreat clavus in trabe, nec invenio. Video minutum, sed huic ferendæ moli imparem; qui me fortasse ad terram demittat casu gravi. . . Ah! tandem occurrit firmus, unde pendeam sine periculo. . . At, at, increpuit ostium. *Ad ostium currit.* Fallor. Aures tinniunt. Restat ut laqueum reperiam. *Peram sollicitat, pecuniam*

quæritans. Heu me ſtolidum & improvidum caput, aſſem qui mihi ſaltem reſiduum non fecerim, reſtim unde comparem ! .. age, cingulum, tu mihi fer opem. *Solvit cingulum.* Funem ſupple, & hoc mihi munus concede ultimum . . . ſtringamus nodum ſtringendis faucibus habilem, & arctè ſtringamus. *Extremam cinguli oram dentibus apprehendit.* Hon, hon, hon. . Bene eſt, parata jam ſunt omnia . . . . An verò inteſtatus moriar? ſed enim præter bonam famam, quod relinquam, nihil eſt. At etiam deſunt ſcalæ. Adhibenda eſt cathedra. *Cathedram, ceu ſcalas, aſcendere nititur, modò dextro pede, modò ſiniſtro, modò recto, modò obliquo corpore proſiliens.* An mei, an illius trepidant pedes? Euge, Parmeno. Macte animo. Trepidas, ignave, trepidas. Euge, conſcende, fortiter morere. Sedenim quid audio? adventat certè aliquis. Sic eſt. Hei mihi, quis tam importunè advenit? Annon licebit otioſè pendere, & placidè mori?



SCENA XII.

PÆZOPHILUS, PARMENO.

PÆZ. *fores pugnis, pedibusque pulsans totis viribus.*

ISTAS ecquis occlusit fores?

PAR. *descendit è cathedrâ.*

Herus est.

PÆZ.

Aperite, (si quis est intus), aperite.

PAR.

Ut vexat limen! occidi.

PÆZ.

Evertam, effringam, eruam.

PAR.

Reserabo tacitè . . . ubi latebo? *Vestes ocyùs colligit, oppositâ corpori cathedrâ in angulo Theatri delitescit, sursum aliquando prospiciens, cùm herus avertitur.*

PÆZ.

Cessit pulsanti janua. En tandem patet. Nemone est? nemo. Liberè erumpat furor, quem corde pressum contineo nimium diu. Discrucior . . . disrumpor . . . furiis agor. *Mordet petasum, obviamque in sedem ruens hæret meditans aliquantulùm.* Fortuna mendax! sic

me inescabas lucro, ut me graviore damno mox pessumdares. *Surgit.* Fortunam accusas? Ipse te accusa perfide! Me'n toties ejuratæ rursum dedisse pecuniam aleæ! *Decussatis brachiis, oculos in terram demittit.* Sic fallere ausum juratam patruo fidem! at certè *mutans situm corporis cùm vehementi animi perturbatione*, beneficiis ejus parceres; & illa retineres meliùs! Perjura lingua! scelerata dextera! infandum caput! *Recidit in cathedram, & obliquo sedens corpore, manu caput sustinet ac vultum obtegit.* Perdidi omnia. *Vultum convertit ad spectatores, attollens in cælum oculos*, & vivo! Juvat, juvat parieti illidere insanum caput. *Frendens ac furens caput petaso obvolvens irrumpit in cathedram, quâ tectus Parmeno latebat.*

PAR. *caput erigens, & brachia supra cathedram protendens.*

Here, cave tibi & mihi.

PÆZ. *cathedram furioso impetu amovens.*

Quid hîc latitas, scelestè? Túne clausisti fores? Tu'n me meâ exclusum voluisti domo?

PAR. *tremens.*

Ignosce.

PÆZ.

Ignosco, dum mihi reddas, quod tibi argentum dedi.

PAR.

Parce.

PÆZ.

Parco, inquam, sed redde.

PAR.

Id parce repetere, quod. . .

PÆZ.

Pro centum nummis mille pòst reddam tibi.

PAR.

Non possum.

PÆZ.

Non dabis, furcifer? per superos ego te.
Collum servi apprehendit.

PAR.

Ahy! Ahy! Me strangulas.

PÆZ.

Vivus dabis, vel mortuus.

PAR.

Neque vivus, neque mortuus possum dare.

PÆZ.

Nam cur, perjure?

PAR.

Quia perdidi.

PÆZ.

Quia?

PAR.

Perdidi, inquam.

PÆZ.

Etiamnum ludis?

PAR.

Ah! nimium lusi.

PÆZ.

Etiam mentiris?

PAR.

Utinam!

PÆZ.

Perdidisti? Ubi? Quomodo? Quando?

PAR.

Modò. Isthic ubi eras, cum Davo, cum Getâ, cum Pseudolo.

PÆZ.

Túne, hominum perditissime, nummos centum credas aleæ?

PAR.

Peccavi, fateor.

PÆZ.

Annorum mercedem trium unâ tu perdas horâ minùs?

PAR.

Exempli magna vis est. Exemplo perii malo. *Herum commonstrans.*

PÆZ.

Hei mihi! Cum illis centum nummis potui fortunam revocare prosperam. Tu, parricida, tu & rem tuam, & spem meam unâ peremisti plagâ.

PAR.

Id doleo valde?

PÆZ. *ensem stringit.*

At morte mihi pœnas expendes modò.

PAR.

Reconde ferrum, neu mihi mortem inferas. Ipse me de medio sublatum volo; & nisi venires intempestivè, jam Parmenonem tuum de trabe videres pendulum.

PÆZ.

Bene tu quidem; de me sumpsisti exemplum ut luderes, ego de te sumam, ut moriar; gladium per pectus exigam.

PAR. *manum heri cohibens.*

Expecta dum. Præire meum est. . . Ego consilium hoc cœpi prior.

SCENA XIII.

PÆZOPHILUS, CLEOBULUS, PARMENO.

CLEOB. *ensem Pæzophilo vi eripit.*

AMICE, quid agis? aut quid egisti modò?

PÆZ.

Fortuna sic mecum egit, ut cum nemine anteà.

CLEOB.

Téne patrui & tam malè & tam citò oblitum tui!

PÆZ.

Nunquam obliviſcar, fortunà quo mihi illuſerit modo. Audi me.

CLEOB.

Neque juvat, neque vacat. Chryſorius..?
Vult Pæzophilum ducere ad patruum.

PÆZ.

Oportet illud reſcias.

CLEOB.

Scivi omnia, nunc vide, ut. . .

PÆZ.

Sciviſti? An quidquam audiſti tam inſolens?

CLEOB.

Nihil. At. . .

PÆZ.

Poſt undenos jactus proſperos teſſera in partem malam plus vicies cadit, ne interjecto quidem uno felici bolo. Quid cenſes?

CLEOB.

Cenſeo te inſanire.

PÆZ.

Credo equidem. Sed enim quis mente hoc ſanâ & placidâ ferat! Ah!

CLEOB.

Præterita memoras damna, reparari quæ

non queant. Ventura averte, si potes. Et.

P æ z.

Præterita reparare forsitan licet, si modò pecuniâ præsente adjuves. Tu me adjuva, precor.

C l e o b.

Etiámne de aleâ cogitas, amice? Quis furor?

P æ z.

Fortuna illusit mihi: illi facere convicium volo. An mihi negabis, quam peto supplex opem. *Flexis genibus orat Cleobulum.*

C l e o b.

Opem ferre volo maximè. Sequere me.

P æ z.

Vis ergo mutuum dare argentum mihi?

C l e o b.

Scis me tibi defuisse nunquam, opus quoties fuit.

P æ z.

Scio & laudo. Sed nunc opus esse scias quàm maximè.

C l e o b.

Quin multò magis opus est patruo te sistas modò; &, si fortè placari potest, placare tentes.

P æ z.

Ille mihi succenseat, irâ ardescat, furat; oportet aleæ periculum faciam ultimum, & ludam.

P a r.

PAR.

Here, en patruus venit, neſcio quid dextrâ chartæ præferens ?

CLEOB.

Hei mihi ! quid apportat mali !

PÆZ.

Quò me proripiam hinc miſer !

SCENA XIV.

CHRYSORIUS, PÆZOPHILUS; CLEOBULUS, PARMENO.

CHRYS. *Pæzophilum, apprehenſo brachio, retinens.*

RESISTE, Pæzophile, reſiſte ; paucis te volo.

CLEOB.

Obſecro te, noli. . .

CHRYS.

Omitte, Cleobule . . . Quod rogabo, id reſponde mihi, Pæzophile.

PAR. *à parte.*

Rite litem inſtruit. Primùm interrogat.

CHRYS.

Villa, prædia ad Sequanam ſita, quæ tua fuerunt, cujus ſunt ?

PAR. *à parte.*

Ouf.

CHRYS.

Siles? Iſta domus ampla, quæ tibi in foro fuit, cujus in poteſtatem venit?

PAR. *à parte.*

Ahy!

CHRYS.

Taces? quam tibi paravi turmam equitum; an recenſebis brevì?

PAR. *à parte.*

Ut is recenſet omnia!

CHRYS.

Nihil reſpondes? loqui non potes? legere an poſſis vide. Huc oculos adverte.

CLEOB.

Ecquid ſcripſiſti?

CHRYS.

Alium à Pæzophilo ſcripſi heredem mihi.

Pæzophilus, quaſi fulmine ictus, concidit: theatrali columnæ innixus oculos modo in pavimentum conjicit, modo in cœlum attollit.

PAR. *à parte.*

Me'n fortè ſcripſit?

CLEOB.

Superi! quid audio!

CHRYS.

Illum aleæ deditum, aleâ perditum, quibus poſſum excludo bonis.

CLEOB.

Quaeso te, oro, obsecro, abscedat ira; teque ad misericordiam refer.

CHRYS.

Nihil facio iratus.

CLEOB.

Illum emenda, ne perde.

CHRYS.

Emendare volui, nec potui; punire possum, & volo.

PAR. *ad Par.*

Non tu te moves, lapis?

CLEOB.

Per beneficam istam quam amplector dexteram.

CHRYS.

Frustra es.

CLEOB.

Quem tibi natura, sanguis heredem dedit; exhaeredare parce.

CHRYS.

Qui se suis spoliavit fortunis, illum jure arcebo meis; nec labore partas aleâ perdendas opes dabo.

CLEOB.

Tu ignotis, alienis, ingratis forsitan dabis.

CHRYS.

Noto, cognato, bene grato tradam viro.

CLEOB.

Heu cui?

CHRYS.

Tibi.

CLEOB.

Mihi?

CHRYS.

Cleobule, quò fugis?

CLEOB.

Certum eſt. Pæzophilum in ſua ni reſtituas jura, hinc fugio procul.

PÆZ.

Cleobule, mane; tu Patrue auſculta. Non te querelis, ne time, urgebo meis. Plectis merentem, & hæredem dignum eligis. Infelix ego ſum, ſed ero jam ſolus miſer. Tu tali hærede felix. Te nimium diu ſollicitum curis teneo; te læſi nimis. Ultra non lædam. Te meo aſpectu levo. Non me videbis deinde; ergo vive & vale. *Ad Cleobulum.* Tu fruere ſorte, quam tibi virtus facit.

CLEOB.

Amice, ſiſte.

PAR.

Here, quo properas? ſic mihi peris & me perdis?

CHRYS.

Illum, Cleobule, ſequere, fac redeat domum. Sum patruus, apud me vivere etiam-

num potest. Victum vestitúmque vivo sufficiam vivus; & moriens quoque illi relinquam, tolerare unde vitam queat.

CLEOB. *egrediens.*

Quicquid meum erit id totum putet suum. Nec tuum accipio beneficium, nisi, ut ubi servare poterit, in ejus restituam integrum manus.

PAR. *ad Chrysorium.*

Men' exhæredasti pariter?

CHRYS.

Quid tibi vis, homo nequam?

PAR.

Quos mihi debuit nummos herus omnino centum, nisi plures velis addere, hos peto.

CHRYS.

Dabo, si debet.

SCENA XV.

ET ULTIMA.

PARMENO, *solus.*

QUID agam deinde? quod ante cœpi consilium, an illud persequar; & rem destinatam animo ad finem, funemque perducam? Præstat, credo, vivere; neque os istud

meum, non ita illepidum, laqueo pravè & turpiter constringendum dare. Vivamus ergo. Novum Chrysorii heredem adeamus; & in ejus domum & familiam aditum quæramus, & locum. Cum hero priore fortunas perdidi; cum altero rem inveniam fortè, vel faciam.

Vobis, Auditores, aleam nostrâ feliciorem, *trabem ostendens ex quâ pendere voluit*, aut quod multò felicius est, fugam ab aleâ celerem precatur servus probus sed malè fortunatus, dignus qui sit Parmenio. *Dictum corrigit.* Parmeno, inquam, Parmeno.



PATER

AMORE, VEL ODIO, ERGA LIBEROS EXCÆCATUS.

FABULA.

ARGUMENTUM.

PATRICIUS, pater male cordatus, Philotam filium natu majorem iniquo amore, Eugenium natu minorem odio pariter iniquo prosequebatur. Eugenius ingenio eleganti, animo docili & morigero, indole suavissimâ ac imprimis singulari in patrem pietate odium injustum tentat avertere, & genitoris, quem unicè diligit, benevolentiam sibi conciliare. Sed frustra. Filium optimum & paternâ charitate dignissimum procul ablegare Patricius cogitat. Philotas contrà durus, indocilis, ferreus, Patri infensus, quò plura experitur paterni amoris testimonia, eò pluribus prodit argumentis ingratum animum, pravamque voluntatem ad omne vitiorum genus propensam, jamque flagitiis exercitatam. Patricius Irenai viri optimi consiliis, & Dolophili servi callidi artibus adjutus errorem agnoscit suum; quo deposito, resipiscit.

PROLOGUE



PROLOGUE.

ON dit vrai, qu'amour & caprice
Ont fait un accord éternel ;
Caprice en tout amour se glisse,
Même dans l'amour paternel.



UN Pere n'aime plus en pere ;
Il fait un partage odieux
Distingue le frere du frere,
Et régle son cœur par ses yeux.



DANS l'un tout paroît estimable,
Dans l'autre rien n'est estimé,
Et de deux fils le plus aimable
N'est pas toujours le plus aimé.

L

PROLOGUE.

OBJET d'une folle tendresse,
L'un peut faillir impunément:
Le pere l'aime par foiblesse,
Il l'aime & le perd en l'aimant.



L'AUTRE, malgré sa complaisance,
Ne peut s'attirer un souris,
Dans lui l'ardeur de plaire offense,
Ses soins sont payés de mépris.



AINSI l'amour, cet héritage,
Que le sang doit rendre commun,
Par le plus injuste partage,
De deux fils n'en embrasse qu'un.



EN VAIN contre une telle injure
Le sang veut réclamer ses droits,
On n'écoute point la nature,
Le caprice étouffe sa voix.

Mais par le caprice outragée
Nature se venge à son tour,
Elle n'a pour être vengée
Qu'à ne point répondre à l'amour.



Elle se tait, le fils qu'on flate
Se montre insensible aux bienfaits,
Et l'amour dans son ame ingrate
Tâche envain d'enfoncer ses traits.



Puni par sa tendresse même
Le pere est en proye aux douleurs;
La dureté du fils qu'il aime
Devient la source de ses pleurs.



Pour tracer un portrait fidéle
D'un de ces peres insensés,
Nous ne manquons point de modéle;
Paris nous en fournit assez.

PROLOGUE.

MAIS quoi ! Nous sied-t-il bien de peindre

Ceux qui doivent régler nos mœurs ?
Ils n'auront pas lieu de se plaindre,
Nous serons nos propres censeurs.




DANS l'amour d'un pere bizarre
Si plus d'un pere se peut voir,
D'un fils ingrat le cœur barbare
Pour les ingrats est un miroir.



SI quelqu'un s'avisoit de dire
Que nos jeux sont hors de saison,
Qu'il sçache qu'on peut toujours rire
Quand les ris servent de leçon.





PATER AMORE, VEL ODIO, ERGA LIBEROS EXCÆCATUS:

FABULA.

SCENA I.

EUGENIUS, IRENÆUS.

EUGENIUS, *theatrum subit gemens, & tanquam dolore obrutus in cathedram se conjicit.*

ME miserum!
Ah!

IRENÆUS, *theatrum ingressus dum circumspicit, Eugenium advertit aversâ sedentem facie, nec statim agnoscit.*

Quis ille secum solus in angulo sedet? Eu-

genius, nî fallor. Opportunè admodum. Salvus sis, Eugeni.

EUGENIUS, *quasi ex improviso advocatus surgit, & ægritudinem animi ipso corporis habitu fatetur.*

Irenæum salvere plurimùm jubeo.

IRENÆUS.

Patricium patrem tuum aiunt profecturum hodie Rothomagum. Jamne profectus est?

EUGENIUS.

Patrem vidi modò, sed de istâ profectione nullum omnino verbum fecit.

IRENÆUS.

Nullum prorsus? non proficiscetur ergo. At at videris mihi valere minus bene. Pallet facies, languent oculi, defluunt genæ, labat cervix, vacillat corpus, & vix pedibus insistit. Ægrotas profectò, Eugeni.

EUGENIUS.

Valeo nimiùm bene.

IRENÆUS.

Quorsum ista spectat oratio? quid obvertis ora?

EUGENIUS.

Ah!

IRENÆUS.

Suspiras. Quis novus suspiria elicit dolor? tametsi novus non est. Ex quo ferme in hanc urbem veni, & in istam intuli pedem do-

mum; te mœrore confici & luctu tabeſcere adverti. Cauſam rogare ſum veritus; at nunc fare, quæſo, quid ſit.

EUGENIUS.

Quin potiùs omitte quærere.

IRENÆUS.

An refugit animus quod celat, id me coram eloqui? an diffidit mihi?

EUGENIUS.

Nemini tam fidit animus quàm tibi. Sed enim quid prodeſt dolorem obductum vulgare verbis, ſi neque dolebo minùs, & tu dolebis magis.

IRENÆUS.

Erit hoc ſaltem ſolatium in luctu, amicum quod habeas tuis condolentem malis.

EUGENIUS.

Durum & triſte ſolatium.

IRENÆUS.

Ut ut eſt, age, loquere, Eugeni, ne verere, quod te ſollicitat & cruciat hoc aperi, & concrede mihi.

EUGENIUS.

Ah! pater! pater!

IRENÆUS.

Patrem quid appellas? an ille verò cauſa mœroris foret? utrùm in dandâ pecuniâ parcior?

EUGENIUS.

Leve commemoras malum.

IRENÆUS.

Adolescentibus haud ita leve. An te arctiori, ne liberè excurras, continet gyro?

EUGENIUS.

Neque illud est incommodum grave.

IRENÆUS.

Quid ergo?

EUGENIUS.

Aliud doleo.

IRENÆUS.

Quid esse tandem dixerim? an pater non amat satis? an. . . .

EUGENIUS.

Desine plura, vulnus tetigisti.

IRENÆUS.

Non satis amat pater! id falsò suspicaris; amat.

EUGENIUS.

Utinam falsò, utinam temere! sed nec amat, nec amorem simulat. Ac ne hunc quidem gratum permittit errorem mihi, ut amari me putem.

IRENÆUS.

Inveniam huic remedium malo: faciam ut & ameris, & amari te scias.

EUGENIUS.

Frustra, Irenæe, frustra id effectum velis

quod ipsa mater cariſſima, dum viveret, *In hoc verbo, quod effert tremulâ voce, proſilit lacryma*, dum moreretur, tentavit ſæpe, nec potuit aſſequi. Novi animum patris. Mihi jam pridem infenſus eſt. Conſpectus ægrè patitur meos, invidet ſuos. Objurgat quotidie, increpat, minitatur. Neſcio quod grande denunciat malum: & niſi me fallit metus, brevi, Irenæe, brevi Eugenius dicet tibi longum vale.

IRENÆUS.

Male ominari deſine. Non adeo inclemens eſt pater. Verùm an tu ſatis filius obſequens? nonne illorum es adoleſcentum ex numero, qui vix ad altitudinem cubiti excrevere, cùm ſui juris eſſe volunt, & agunt omnia arbitratu ſuo. Parentum conſilia, monita nihili faciunt, rident etiam quaſi jam ipſi ſapiant plurimùm & delirent patres? ac ne plura interrogem, nonne facto aliquo, vel dicto paternum offendiſti animum, & ab amore ad odium traduxiſti?

EUGENIUS.

Deum luctûs mei conſcium teſtor, nihil feciſſe me ſcientem, vel dixiſſe, quod tantillùm offenderet patrem. Imò nihil omiſi quo benevolum facerem mihi. Blanditus ſum, obſecutus in omnibus; flevi, ſuſpiravi; blanditias, obſequia, fletus, ſuſpiria contempſit

mea. Ille vix me dignatur alloqui. Filium appellat nunquam. Usquè adeo patris non solùm mores & animum, sed & ipsum nomen velle videtur deponere.

IRENÆUS.

Sic sunt, ut amici, ita patres quidam in amando severiores, blanditias neque adhibent, neque admittunt: sive ita fert ingenium, sive ita suadet ratio.

EUGENIUS.

Non ita fert ingenium patris. Philotam fratrem meum habet in deliciis, gestat in oculis, palpat, blanditur, pecuniam, vestes, & quidem splendidas, largitur affatim, quodque his longè pluris facio, amorem huic totum impertit suum.

IRENÆUS.

Sentio te parum liberali uti patre; at non ideo patrem odisse fas est.

EUGENIUS.

Oderim patrem! potiùs, ah! potiùs oderim lucem! amo patrem, Irenæe, vel durum, vel inclementem, vel infensum mihi. Amo, neque amare desinam. Sed heu! quàm miserum est! quàm acerbum, odio esse, cum diligas, & illi esse odio à quo diligi maximè velis *Verba ultima franguntur singultibus, & desinunt in lacrymas*, & debeas.

IRENÆUS.

Compesce lacrymas, Eugeni: calamitatem tuam respiciet innocentum tutor Deus. Ipse patrem alloquar tuum, & nisi ferreus sit, (nec est) ejus emolliam & inflectam animum.

PATRICIUS *in post-scenio.*

Intra semi-horam parata sint omnia.

EUGENIUS.

Audio vocem patris. Abeo, ne me præsentem excipiat modis te seque indignis. Tibi se commendat infelix Eugenius.

IRENÆUS.

Securus esto; quid tuâ causà fecerim, & profecerim mox renunciabo.

SCENA II.

PATRICIUS, IRENÆUS.

IRENÆUS.

SALUTEM tibi plurimam, Patrici; quomodo vales?

PATRICIUS.

Eh! sat bellè: tussim illam molestam & importunam quæ me angebat malè, excussi tandem, & expui. *Tussit & exscreat.* Hem, hem,

auscultâ. Jam clara est vox & liquida. Hem, hem, audis?

IRENÆUS.

Audio & gratulor. Te profecturum hodie Rothomagum dixit aliquis. Ita ne verò?

PATRICIUS.

Sic est. At nonne tu isthic cum aliquo loquebare modò?

IRENÆUS.

Sermonem habebam cum uno è liberis tuis, qui mihi placet admodum; est ille naturâ, ingenio, moribus suavis.

PATRICIUS.

Ha, ha, ha, he! apud me laudandus scilicet! quasi verò eximias Philotæ dotes probè cognitas non habeam.

IRENÆUS.

De Philotâ non loquor, neque. . .

PATRICIUS.

De quo loqueris ergo?

IRENÆUS.

De Eugenio.

PATRICIUS.

De Eugenio loqueris! he. . .

IRENÆUS.

Maximè, teque parentum judico fortunatissimum, hujus adolescentuli virtutes si benè noveris.

PATRICIUS.

Novi ſatis.

IRENÆUS.

Ergo te beatum noſti.

PATRICIUS.

Abi, non fungeris liberalis officium viri, qui me præſentem irrideas, & mihi exprobres meæ opprobrium domûs.

IRENÆUS.

Ego te irrideo! neutiquam. Tibi gaudeo qui talem habeas filium.

PATRICIUS.

Filium. Cave dixeris. Non eſt jam meus; illum abdico, & ſentiet brevi. . . .

IRENÆUS.

Non ſatis (pace tuâ dixerim) attendis quid dicas, & iſta ſi te crederem loqui ex animo, haud facilè dictis ignoſcerem.

PATRICIUS.

Neque ego homini ignoſco, qui me ſciens volenſque ad iracundiam provocet.

IRENÆUS.

Quis te ad iracundiam provocat? an non licet filium laudare coram patre?

PATRICIUS.

Non hercle, non licet, neque pati debet pater laudari filium qui vituperandus ſit; excuſari, qui ſit accuſandus, qui . . . . eh, . .

PATRICIUS.

He! fortaſſe quidem. Alter verò. . .

CASTOROPOLA.

Alterum voluiſti nitidum, elegantem, & ſplendidè ornatum. Talem iſtum exhibeo.

PATRICIUS.

Elegantius quid volui & ſplendidius.

CASTOROPOLA.

Nihil in urbe, vel in aulâ elegantius videris aut ſplendidius. Iſtam intuere criſtam mollem, patulam, comantem, níveam, iſtum contemplare limbum auro contextum puriſſimo, punctis diſtinctum eminentibus, & opere hiſpanico denticulatum. An non probas?

PATRICIUS.

Non planè improbo; ſed vereor ne iſte pileus ornando Philotæ capiti non ſit idoneus ſatis.

CASTOROPOLA.

Ne verere: ſi dubitas, in ejus capite experire.

PATRICIUS.

In meo priùs experiar capite. *Petaſum ſuo imponit capiti.* Quid cenſes, Irenæe? an iſte petaſus me ornat ſatis?

IRENÆUS.

Quin imò te ornat nimis.

PATRICIUS.

Cum eſſem junior, gaudebam iſtis elegantibus

sibus capitis ornamentis; hunc igitur petasum Philotæ, illum Eugenio trade, Castoropola; Utriusque pretium subinde accipies.

SCENA IV.

PATRICIUS, IRENÆUS.

IRENÆUS.

TANTUMNE inter liberos statuis discriminis, Patrici, ut alteri splendidum ac superbum capitis tegmen, alteri nudum ac prope sordidum destines?

PATRICIUS.

Tantum inter liberos statuo discriminis, quantum ipsa constituit ætas & natura. An tu filium natu minorem æqualiter cum majore ornatum velis?

IRENÆUS.

Æqualitatem non exigo, quam tamen adhibent parentes quidam benecordati. Sed volo similitudinem. Ibi sit vestitus similis, ac propè communis, ubi est similitudo fortunæ & sanguinis communio.

PATRICIUS.

Similis, communis, similitudo, communio, præclara oratio. Isti parentes bene cor-

dati quorum laudas institutum, liberos arbitrio vestiunt & ornant suo, nonne?

IRENÆUS.

Prorsus.

PATRICIUS.

Permitte, obsecro, ut meos quoque arbitratu vestiam & exornem meo.

IRENÆUS.

Permitto; unum oro quod attinet ad Eugenium. . .

PATRICIUS.

Etiam ad Eugenium redis?

IRENÆUS.

Redeo ut mox recedam, cum de illo mihi respondendo feceris satis. Dic igitur, quæso, in te quid peccaverit infelix adolescens. Quò enim magis magisque animum in omnes intendo partes, hoc minùs occurrit quid fecerit, aut facere verò potuerit.

PATRICIUS.

Fecit. . .

IRENÆUS.

Age, eloquere.

PATRICIUS.

Fecit. . .

IRENÆUS.

Quid fecit tandem?

PATRICIUS.

Fecit . . . fecit ut non possim amare?

IRENÆUS.

Amare non potes?

PATRICIUS.

Non possum.

IRENÆUS.

Pater es, & filium amare non potes?

PATRICIUS.

Non possum, inquam.

IRENÆUS.

Aliter sentis, aliter loqueris.

PATRICIUS.

Idem sentio, idem loquor, rem ita dico ut est.

IRENÆUS.

Atqui idipsum miror, ita rem esse ut dicis. Fateor quosdam esse liberos tam male natos, adeò informes corpore, aut perversos ingenio, ut illis ægrè parentes arrideant.

PATRICIUS.

Bene tu quidem.

IRENÆUS.

Pater in filii vultu & moribus vultum & mores quærit suos, nec invenit.

PATRICIUS.

Rectè.

IRENÆUS.

Speravit habiturum se in filio columen & ornamentum domûs. Filium habet ejusmodi qui patrium obscuret magis quàm illustret genus.

PATRICIUS.

Maximè.

IRENÆUS.

Ista paternum amorem restinguere aliquatenus possunt, extinguere prorsus non debent; vincat oportet fastidii sensum natura vel ratio. Excuset liberorum vitia, & quodammodo imminuat: virtutes contra, si quæ sunt, (& sunt semper aliquæ) augeat & amplificet. Faciat omnino illa, quod speculum concavum, cujus ope res crescere videntur vel decrescere, prout hanc vel illam vitri faciem obverteris.

PATRICIUS.

Faciat ratio, in liberorum vitiis, quod speculum concavum, cujus ope res videntur crescere vel decrescere, prout hæc vel illa facies obvertitur: egregiè philosopharis, & perità. Vis ergo amari filium qui non sit amabilis.

IRENÆUS.

Amon hac ipsâ re amabilis est quod filius est? non satis est miserum adolescentem suis onerari vitiis, & sæpe quidem à parente transmissis, *Patricius aperit caput, & gratias agit, quasi hac verba ad se pertineant*, nisi parentis odio laboret.

PATRICIUS.

Filius oneratur vitiis à parente transmissis. Egregiis me sanè ornas laudibus.

IRENÆUS.

Quæ dico, ea de te vel de Eugenio cave dicta existimes. Habet ille profectò, quod ametur; neque adolescentem alium facilè reperias quem blandiore oculo natura respexerit.

PATRICIUS.

Non cessabis laudare vitium?

IRENÆUS.

Virtutem laudo. Sed noli effervescere; amas Philotam nonne?

PATRICIUS.

Amo certè, & est amore dignus adolescens. Adolescens nimirum! adolescens. Vah! illum peræque tibi ac mihi notum esse oportuit.

IRENÆUS.

Mihi fortasse magis notus est quàm tibi; quid autem in illo tam eximium vides, quod in Eugenio requiras?

PATRICIUS.

Video ... video ... omnia. Elegans est; urbanus, comis, lepidus, ingeniosus. Amat me præterea. Amat ... oh! nihil supra.

IRENÆUS.

Amore illi non concedit Eugenius, hoc certò affirmare licet.

PATRICIUS.

Eugenius nempe, Eugenius. Num semel amplexus petiit meos? num blanditus est? num?

IRENÆUS.

Quomodo blandiatur vel tuos amplexus petat quem ad te non finis accedere ? quod ad mores attinet, nihil dicam gravius, nunc dico tamen : optandum ut Philotas tam fit vitæ integer quàm Eugenius. Qui enim nimiùm amantur à parentibus, amant se ipsi vulgò nimium, &c. . .

PATRICIUS.

Ausculta, si placet. Jocone an seriò ista dicas, nescio. Displicet sanè multum oratio tua, & nisi amicus esses & affinis . . . parco pluribus. *Caput aperit quasi abiturus & ægrè se retineri patitur.* Vale.

IRENÆUS.

Manedum, Patrici, ego tibi molestus esse nequaquam volo. Id unum volo, ea ne ignores quæ tuâ interest scire & ibi aperias oculos, ubi. . .

PATRICIUS.

Aperti sunt satis. Tu claude tuos, si quid displicet.

IRENÆUS.

Téne tam diu amore vel odio excæcatum, nihil in liberorum vitâ & moribus dispicere, & vel odisse, vel amare sine ratione & modo ? verùm esto sanè. Si nihil ad te, quid ad me ? *Fingit abire se velle.*

PATRICIUS *Irenæum retinens.*

Age tandem quid est in quo Philotam arguas.

IRENÆUS.

Nihil; ne fortè succenseas.

PATRICIUS.

Dic tamen.

IRENÆUS.

Displiceret oratio mea.

PATRICIUS.

Obsecro te, ne me silentio torqueas.

IRENÆUS.

Illud quodcumque est, malim te ex aliis, quàm ex me cognoscere.

PATRICIUS.

Cognoscam modò. Heus Dolophile!

DOLOPHILUS *in post-scenio.*

Quid jubes, here?

PATRICIUS.

Adesdum.

SCENA V.

DOLOPHILUS, PATRICIUS, IRENÆUS.

DOLOPHILUS.

ADSUM.

PATRICIUS.

Neophilax estne intus?

DOLOPHILUS.

Credo esse in cubiculo vicino cum Philotâ, & Eugenio.

PATRICIUS.

Illum accerse ocyùs.

SCENA VI.

PATRICIUS, IRENÆUS.

PATRICIUS.

TAMETSI illum sevocare juverit; & interrogare semotis testibus.

IRENÆUS.

Quid ita?

PATRICIUS.

Quia sic liberiùs se prodit veritas.

IRENÆUS.

Præsentem igitur me non admittis?

PATRICIUS.

Isthic resiste paululùm, mox ad te redeo.

IRENÆUS.

Imo tu Neophilactem isthic, semotis testibus interrogato, dum ibo ad Dyscolopatrem, qui ex me quærebat nuper num cogitarem

brevi

brevi Rothomagum. Illuc te proficiſci renuncio.

PATRICIUS.

Operam ipſi meam promitte, ſi quid illic ejus causâ præſtare potero. Sed me admoneat ocyùs quid velit: nam proficiſcar brevi.

IRENÆUS.

Aut ille te admonebit ſtatim, aut ego quam primùm admonebo.

SCENA VII.

PATRICIUS, NEOPHILAX.

PATRICIUS.

ACCEDE, Neophilax, accede propiùs & auſculta.

NEOPHILAX.

Ad omnia me promptum vides.

PATRICIUS.

Liberos à quindecim diebus tibi moderandos tradidi.

NEOPHILAX.

Non eſt, opinor, quod te facti pœniteat.

PATRICIUS.

He! nondum quidem. Ego te unum elegi è multis. Hoc non ignoras.

NEOPHILAX.

Neque ignoro, neque ſum immemor.

PATRICIUS.

Cauſa deligendi fuit, quod te præ cæteris candidum & apertum in dictis credidi.

NEOPHILAX.

Honorificè de me ſentis, & verè.

PATRICIUS.

Neque verò adulatores fero.

NEOPHILAX.

Neque verò ſunt ferendi.

PATRICIUS.

Neque illos parentes ineptos & ſtolidos probo, qui mira de liberis audire amant, quia ipſi mira prædicant.

NEOPHILAX.

Neque verò ſunt probandi.

PATRICIUS.

Loquere igitur apertè & candidè; an ſatis faciunt liberi?

NEOPHILAX.

He, he. . .

PATRICIUS.

Age, dic, ne dubita. Philotas nonne ſedulus in officiis & diligens.

NEOPHILAX.

Imo nulli magiſtro ſatisfacit, nihil audit, nihil attendit, nihil capit.

PATRICIUS.

Tantò meliùs, tantò meliùs. Ista levitas signum habet vividi & acris ingenii. Ego sic eram, cum id essem ætatis. Eugenius autem quid?

NEOPHILAX.

Eugenius totum se tradit magistris & artibus. Ille scribendo manum exercet, legendo mentem excolit, historiæ dat operam, Geographiæ, Philosophiæ, Mathematicis. . .

PATRICIUS.

Satis est, satis est. Philotas nonne vitâ & moribus suavis, honestus, integer?

NEOPHILAX.

Imo procax, petulans, fræni impatiens; amans sui plus æquo, & male metuo. . .

PATRICIUS.

Ne metue. Defervescent paulatim adolescentiæ cupiditates & velut generosa vina, cum deferbuerint, mitescent. Eugenius verò?

NEOPHILAX.

Eugenio nihil suavius est in agendo. In loquendo prudens, urbanus, verecundus. . .

PATRICIUS.

Hon . . . das mihi verba, Neophilax; neque de Philotâ, neque de Eugenio, vera loqueris.

NEOPHILAX.

De utroque vera loquor. Illud addam de

Philotâ, ipsum absenti tibi malè aliquando dicere, & reverentiam patri debitam violare dictis & jocis. Frustra moneo, arguo . . . ridet me. . .

PATRICIUS *risum Neophilactis imitatur ridiculè.*

He, he, he. Ridet te.

NEOPHILAX.

Minatur etiam, & me onerat conviciis.

PATRICIUS.

Vellem te quoque plagis onerasset, & parum abest. . .

NEOPHILAX.

Heu! quid ita?

PATRICIUS.

Quia maledicus es, calumniator, sycophanta.

NEOPHILAX.

Ista non merui nomina, neque is ego sum qui. . .

PATRICIUS.

Tu scilicet coràm me filio maledicas meo?

NEOPHILAX.

Vera audire voluisti, vera audivisti.

PATRICIUS.

Abi, & liberos ad me mitte.



SCENA VIII.

PATRICIUS *solus.*

AH! nimium jam sentio: Philotæ parantur insidiæ. Irenæus, Neophilax inter se congruunt ambo illum ut in suspicionem & invidiam vocent apud patrem. Sed nil agunt. Non sic luditur Patricius; quò magis de filio detrahent, hòc erit carior mihi. Amorem conantur meum restinguere, & accendunt magis.

SCENA IX.

PATRICIUS, EUGENIUS.

PATRICIUS.

QUIS ille restitat ad januam? ingredere, fili, ingredere. Quò pergis, Eugeni?

EUGENIUS.

Nonne jubes ingredi, pater amantissime.

PATRICIUS.

Non te, sed filium.

EUGENIUS.

Ignosce errori. Vocatum me credideram: ipse me Neophilax nomine advocavit tuo.

PATRICIUS.

Te alloquar modò, sed Philotam priùs.

EUGENIUS.

Ubi voles, adero, pater cariſſime, & mandata tua excipiam lubens.

PATRICIUS *cum motu indignationis.*

Eh! ...

SCENA X.

PHILOTAS, PATRICIUS.

ACCEDE, nate, patris amplexum pete.

PHILOTAS *à parte.*

Ah! quàm es importunus!

PATRICIUS.

Quid ais, mea vita?

PHILOTAS.

Timeo ne ſim importunus.

PATRICIUS.

Patri injuriam facis, fili ſuaviſſime; aſſideamus. Quomodo vales, delicium meum?

PHILOTAS.

Non malè.

PATRICIUS.

Quid hoc eſt? ut ornatus es? cur non habes linteolum elegantius, quo fauces & collum protegas?

PHILOTAS.

Non. . .

PATRICIUS.

Emendum curabo, mea lux, placetne iste petasus, quem tibi comparavi modò.

PHILOTAS.

Non displicet.

PATRICIUS.

Impone capiti, ut videam num aptè deceat . . . Illum sic dirige ut ne frontem obumbret nimis.

PHILOTAS.

Ahi!

PATRICIUS.

Quid gemis? an te læsit imprudens manus.

PHILOTAS.

Leviter, ac ne vix quidem . . . . atenim quàm elegantem annulum digito, quam nitidam annulo gemmam geris?

PATRICIUS.

Nuptiale donum est; matri dederam tuæ; cum illa mihi desponderetur, ex ejus capsulâ eduxi hodie.

PHILOTAS.

Sine, quæso, annulum istum inspiciam diligentiùs.

PATRICIUS.

Ipsum digito insere . . . convenit digitus annulo.

PHILOTAS.

Convenit & annulus digito, sed recipe.

PATRICIUS.

Imò, tibi habe, mi animule.

PHILOTAS.

Quid ais, pater?

PATRICIUS.

Quod fieri volo, meum corculum.

PHILOTAS.

Ego-ne quod maternum fuit, quod paternum est digito circumferam?

PATRICIUS.

Sic placet. Dum isto me annulo exoneras; mœrore levas qui mihi ex conjugis optimæ fato objicitur.

PHILOTAS.

Fuit illa mulier bona, nisi foret plus æquo pia, & moribus nimium simplex.

PATRICIUS.

Ipsam laudare abstine, dolorem renovas; Heu! hoi. . .

PHILOTAS.

Ejus abstinebo laudibus; tu abstine fletibus. Ego te annulo isto, propter mœrorem quem objicit, levabo. Quandonam autem te dabis in viam? nam te profecturum aliquò inaudivi manè.

PATRICIUS.

Proficiscar modò. Nonne hoc dolet tibi,

patre quòd sis cariturus aliquot dies?

PHILOTAS.

Id doleo maximè. Quid me autem vocasti?

PATRICIUS.

Rescire te aliquid oportuit, quod mihi dictum est.

PHILOTAS.

Quid isthuc autem?

PATRICIUS.

Dixit Neophilax te ... non satis diligentem in officiis, te ... minùs sanctum moribus, te ... non ita reverenter de me loqui aliquando.

PHILOTAS.

Dixit hoc Neophilax.

PATRICIUS.

Dixit.

PHILOTAS.

O Superi! eò ne temeritatis devenisse quemquam? ...

PATRICIUS.

Noli excandescere, anima mea, ne fervor iste tumultum excitet in stomacho.

PHILOTAS.

Me nempe maledictis violari patiar lentus? hoc ipse pateris, & amas!

PATRICIUS.

Maledixit Neophilax; sed maledicenti non credidi.

PHILOTAS.

Et credidisti, & credis.

PATRICIUS.

Ne vivam, si credidi, aut credo.

PHILOTAS.

Si non credidisti, si non credis, si me amas, istum calumniatorem domo abige.

PATRICIUS.

At. . .

PHILOTAS.

Quid?

PATRICIUS.

Te propter jam quatuor vitæ moderatores amovimus à sex mensibus.

PHILOTAS.

Amove & istum Neophilactem.

PATRICIUS.

At est bonus vir, &. . .

PHILOTAS.

Est bonus vir, homo maledicus.

PATRICIUS.

Maledicat; quid tum? si non habeo fidem?

PHILOTAS.

Non habes fidem modò, sed habebis posteà. Sic ego invidiæ & calumniæ telis semper patebo miser, *Fletum simulat & sic ridet ut spectator risum advertat quem Pater fletum interpretatur*. Et quia suspiciosus est amor, quò amas magis, hòc me suspectum magis habebis.

PATRICIUS.

Cave dixeris. Nemini credo de te, his tantum credam oculis... Patrem amplectere antequam ingrediatur viam ... iterum ... vix possum tenere lacrymas. Heu!...hoi...

PHILOTAS.

Flere meum est, pater. Nam qui potero ferre desiderium tui. Heu! hoi...

PATRICIUS.

Ut amat! *Abstergit fictas Philotæ lacrymas.* Parce fletibus, ocule mi, patre non carebis diu.

PHILOTAS.

Quoniam vetas, non flebo, vel fletus occulam. Vale.

PATRICIUS.

Vive patris memor, dilecte fili. Ut amat! ut amat! Quis me felicior viveret pater, si præter hunc Philotam nulla foret soboles mihi, sed ablegandus domo Eugenius, & ad aliquot annos aliquò deportandus. Quamdiu enim erit domi, erunt semper malevoli, qui Philotæ amorem invideant meum, & bene agenti maledicant.



SCENA XI.

EUGENIUS, PATRICIUS.

PATRICIUS.

QUIS pulsat fores? Tu ne iterum fili?

EUGENIUS.

Non, pater suavissime, non filius, sed Eugenius. Jam-ne licet ingredi?

PATRICIUS *in cathedrâ sedens.*

Licet, ingredere.

EUGENIUS *ad patrem accedens trepidè, ut complectatur.*

Ah! pater, quàm mihi suave est ad te propius accedere, &c. . .

PATRICIUS *filium à se removens.*

Remove te, juvenum audacissime; ubi reverentia patri debita?

EUGENIUS.

Reverentiam vicit amor, non expulit.

PATRICIUS.

Scis-ne quâ de causâ vocari te jusserim?

EUGENIUS.

Nequaquam, pater carissime; sed aiunt te profecturum hodie, nescio quò. An licebit Eugenio te comitari tantulùm?

PATRICIUS.

Te comite nihil opus est.

EUGENIUS.

Iter tibi fortunet Deus! an te brevi habebimus reducem, pater optatissime?

PATRICIUS.

Reducem videbis citiùs, quàm velis.

EUGENIUS.

Quid ais, pater desideratissime? An potest mihi redire ocyùs, quem semper adesse præsentem oculis velim.

PATRICIUS.

Mitte verba ad blanditias per fraudem composita, & ausculta quid velim.

EUGENIUS.

Ausculto, pater amantissime.

PATRICIUS.

Sed mihi sine morâ obtemperatum volo.

EUGENIUS.

Eugenium habebis morigerum, & obsequentem in omnibus.

PATRICIUS.

Bene est. Collige igitur sarcinulas, & compara te ad proficiscendum, ubi rediero.

EUGENIUS.

Quò me mittis, pater, quò vis proficisci?

PATRICIUS.

Omitte quærere, & jussa facesse.

EUGENIUS.

Ah! pater intelligo quid velis, vis me ablegare domo.

PATRICIUS.

Intelligis quod eſt, & eò quidem te amandabo, unde neque facilis, neque promptus ſit reditus.

EUGENIUS *ad patris genua accidens.*

Pater, dilectiſſime pater, ego te per Deum immortalem, per illam quam dediſti vitam, per has lacrymas, per quicquid paternum flectere animum poteſt, oro, ne me expellas domo . . . Patere. . .

PATRICIUS *ſurgit, illum proſequitur Eugenius, & iterum ad ejus pedes accidit.*

Te nimium patior diu.

EUGENIUS *ad patris pedes provolutus.*

Patere me apud te potiùs, quàm alibi miſerum vivere. Non peto blanditias, quas non merui. Quanquàm! . . ſed illas habet frater; non invidebo, neque expoſtulabo. Quòd ſi quando querelas invitò extorſerit dolor, de me uno querar, unum me accuſabo quod parentis optimi amorem arte nullâ demereri unquam potuerim.

PATRICIUS.

Surge, & ne mihi aures obtunde ampliùs.

EUGENIUS.

Pater cariſſime.

PATRICIUS.

Non tu te amovebis iſthinc.

EUGENIUS *ſurgens.*

Memineris te patrem.

PATRICIUS.

Per ſuperos, niſi abceſſeris, ego maledicam tibi.

EUGENIUS *comminatione Patris perculſus titubat, ac propè corruit.*

Ah!

PATRICIUS.

Euge ocyùs.

EUGENIUS *recedendo vacillat, hæret aliquandiu Scenæ adnixus, patrem reſpicit blandè, & flebiliter abſcedit.*

Vale, igitur pater. . . Ah!

PATRICIUS.

Fatendum quod res eſt, me propè lacrymis commovit ſuis, & niſi expuliſſem ocyùs, juſtam iracundiam dolore viciſſet ſuo. Sed obſirmandum pectus, & adversùs inſidioſas preces obdurandum. Euge pectus, euge, muliebres ſenſus exue, viriles concipe.



SCENA XII.

DOLOPHILUS, PATRICIUS.

DOLOPHILUS.

HERE, parata sunt omnia; nihil est in morâ cur viam ineas, ubi libitum erit.

PATRICIUS.

Factum bene: Proficiscor. Dum redeo, ibis ad Crysaldum.

DOLOPHILUS.

Ad Crysaldum mercatorem qui nobis annonam providere solet.

PATRICIUS.

Ad ipsum Crysaldum mercatorem.

DOLOPHILUS.

Ut nobis cibos in esuriales ferias provideat, optimos scilicet.

PATRICIUS.

Non hoc agitur.

DOLOPHILUS.

Nempe ut nobis vina comparet salubriora.

PATRICIUS.

Neque istud volo.

DOLOPHILUS.

Id ego pervelim,

PATRICIUS.

PATRICIUS.

Rogabis ut inquirat sedulò num quis navigaturus sit brevi ad Insulas Americæ, & in ejus navi sedem pretio conducat.

DOLOPHILUS.

An tu eò migrare velis istâ ætate?

PATRICIUS.

Omitte interrogare, & imperata facesse.

DOLOPHILUS.

Faciam, nihil est præterea quod imperes?

PATRICIUS.

Diligenter observabis quicquid absente me domi peractum fuerit. Imprimis numquid peccaverit in Philotam Eugenius, num debitum fratri obsequium præstiterit, & me reducem monebis.

DOLOPHILUS.

Monebo, & cavebo, dum aberis, ne quid rei familiaris pereat tibi: *à parte*, vel mihi.

SCENA XIII.

PATRICIUS, IRENÆUS.

IRENÆUS.

DYSCOLOPATREM adivi, & vidi, luctu perditum invêni.

O

PATRICIUS.

Quæ causa luctûs?

IRENÆUS.

Filium immerentem, ut aufugeret domo, inclementiâ pepulit suâ.

PATRICIUS.

Immerentem expulit! factum improbè.

IRENÆUS.

In illo vestigando jam totus est, id unum cogitat, rogat, ut de illo, dum iter facis, tu quoque diligenter & solerter inquiras.

PATRICIUS.

Inquiram, & perquiram; tu vide ut de iis solùm quæras ad te quæ pertinent.

IRENÆUS.

Istud videbo. Tu-ne verò cognovisti de liberorum vitâ, & moribus.

PATRICIUS.

Dixi tibi; omitte liberos meos, & res tuas age.

IRENÆUS.

Dum res tuas ago, tum quoque ago meas. Amicitiâ & affinitate tibi sum conjunctissimus. Quàm bene tuâ & tuorum causâ velim, non ignoras.

PATRICIUS.

Meâ sanè causâ, vis optimè, qui discordiæ facem ædibus inferas meis.

IRENÆUS.

Superi! iniquitatem hominum! quid mihi vel tibi cum istâ tuâ discordiæ face?

PATRICIUS.

Id scio quod me scire nescis.

IRENÆUS.

Aperta loquere.

PATRICIUS.

Quasi verò non tu Neophilactem instruxeris Philotæ accusatorem & subornaveris!

IRENÆUS.

Ego Neophilactem instruxi & subornavi; quem nunquam arcanè sum allocutus, quem vix de facie novi.

PATRICIUS.

Quem te non nosse fingis, sed nihil egisti; Non ita credulus est Patricius.

IRENÆUS.

Scio te quædam, & quibusdam non facile credere. Verùm omittamus sanè Philotam, & de Eugenio. . .

PATRICIUS.

De Eugenio ipse sile, & quiesce. Ille te verbis delusit malis, te sibi benevolum, te Philotæ infensum reddidit, sed brevi sentiet quò sua ipsum fraus, quò perduxerit parta dolo benevolentia.

IRENÆUS.

Quid ais?

PATRICIUS.

Nihil. Videamus quid Philostorgus velit: Quid times ingredi, Philostorge?

SCENA XIV.

PHILOSTORGUS, PATRICIUS, IRENÆUS.

PHILOSTORGUS.

VEreor ne vobis molestus interveniam.

PATRICIUS.

Non is es, qui molestus cuiquam aut usquam sis. Tametsi proficiscor Rothomagum.

PHILOSTORGUS.

Ideoque nolim tibi moram facere.

PATRICIUS.

Semihorâ citiùs aut tardiùs proficiscar, nihil admodum interest. Quid est autem quod ad nos venias subtristi vultu. An tibi debitor aliquis fefellit fidem?

PHILOSTORGUS.

Enim-verò me fefellit aliquis non pecuniæ debitor, sed rei longe pretiosioris.

PATRICIUS.

Pecunia, his præsertim temporibus, res sanè pretio æstimabilis, quænam igitur alia jactura tibi tantum obtulit mœroris?

PHILOSTORGUS.

Dicam: nisi audire alterutri grave est.

PATRICIUS.

Id erit mihi gratissimum.

IRENÆUS.

Gratum erit audire, si modò re aut consilio juvare te potero.

PHILOSTORGUS.

Consilio poteris.

PATRICIUS.

Sede, obsecro, & rem ut aiunt ab ovo ad mala eloquere, ut meliùs tibi consulamus.

PHILOSTORGUS.

Unicum habeo filium.

PATRICIUS.

Annon satis est? ego duos tantùm habeo; & abundo uno.

PHILOSTORGUS.

Non id dolet mihi, quòd unicus sit filius: at filium qui unicus est, non eum esse quem velim, id doleo, id queror. Ah! si scires, *Hîc erumpunt lacrymæ.*

IRENÆUS.

Contine lacrymas, Philostorge; peccare adolescentem nihil mirum est. Multa fert secum adolescentia, quæ ratio postmodùm, ætasque corrigunt.

PHILOSTORGUS.

In filio nihil ratio corrigit, imo crescunt

vitia cum ætate, & corroboratur in dies jam adulta improbitas.

PATRICIUS.

Illud sæpe audivi, ut arbores, sic liberos; tales esse, quales ab ortu finxeris.

PHILOSTORGUS.

Rectè dicis; idque sum expertus in filio quem lenitate & blanditiis malè perdidi.

IRENÆUS.

Audis, Patrici.

PATRICIUS.

Optimè; patrem coram liberis severum oportet esse.

PHILOSTORGUS.

Patrem quid esse deceat, non attendit imprudens amor. Hunc solum habebam filium. Quid facerem? in hoc solo totus eram. Cœpi indulgens blandiri, nihil facere vel dicere quod adolescentis offenderet animum, nullis laboribus pro eo, nullis sumptibus parcere. Interim sæpe admonebant amici.

PATRICIUS.

Bene monebant.

PHILOSTORGUS.

Et clamitabant: quid agis, Philostorge, corrumpis adolescentem; perdis filium. Si perdo, mihi perdo, respondebam illis, & aures bene monentibus obstruebam.

PATRICIUS.

Debuisti attendere.

PHILOSTORGUS.

Sperabam scilicet me tot beneficia ponere apud gratum, & memorem animum. Hæc, inquiebam, referet aliquando cum gratiâ. Erit senectæ dulce solatium meæ: in ejus amore suaviter conquiescam. O spes fallaces! ô expectationem parentum irritam! jam oblitus est ingratus quanto labore adolescentiam educaverim suam. Vix me respicit, nihil veretur. Maleficia pro beneficiis, contumelias pro blanditiis, odium pro amore rependit perfidus.

PATRICIUS.

Jam intelligo quis tibi debitor, & quâ in te fidem fefellerit. Sed dignam meritis mercedem tulisti. Aliter instituendus erat filius, nec amore malo perdendus.

IRENÆUS, *à parte, ad Philostorgum.*

O cœcitatem animi! verùm an cæteris rebus satisfacit? an probè vivit?

PHILOSTORGUS.

Imò, nec rei, nec famæ parcit, atque illud ipsum est, quod me cruciat maximè. Quamdiu fuit ætas tenerior, semina virtutum neglexi animo ejus immittere, ratus id me commodiùs facturum, cùm adolevisset; veritus præterea, ne, quod aiunt fieri, præmatura virtus vim hebetaret ingenii.

IRENÆUS.

Quasi verò noceat ingenio virtus, neque altera cum altero possit in adolescente consistere; sed nihil egisti quod non parentes faciant plerique. Liberorum corpora magis curant, quàm ingenium, ingenium, magis quàm mores. A teneris unguiculis formatur puer ad molle quoddam, & effœminatum vivendi genus.

PATRICIUS.

Attendis.

PHILOSTORGUS.

Attendo.

IRENÆUS.

Vix pedibus insistit, vix balbutit, cum jam docetur blanditias dicere, lepidè garrire, molliter cantitare, multa quærere, multa audire. Parco pluribus . . . Interea virtutum nulla sit mentio. Et miramur quid sit quòd adolescentes hodie sint vitiosiores ante duodecimum ætatis annum, quàm olim ante vigesimum forent. Facit hoc non ingenium maturius, ut vulgò creditur, sed institutio pejor.

PATRICIUS.

Vera loquitur.

IRENÆUS.

Neque id peccatum adeò matrum est; ut non sit etiam patrum, qui matribus ipsis molliores

molliores sunt aliquando & remissiores.

PATRICIUS.

Ita profectò.

PHILOSTORGUS.

Hic me adumbrari sentio.

IRENÆUS.

Sed ut ad natum revertamur tuum, quid tandem contigit, Philostorge?

PHILOSTORGUS.

Id contigit, quod his solet adolescentibus contingere, qui, excusso omni fræno, se suis tradidere libidinibus.

PATRICIUS.

Id sanè dolendum est, sed jam dixi tibi, & iterum dico, tales sunt liberi, quales à puero finxeris.

PHILOSTORGUS.

Tibi debeo plurimùm, Patrici, qui sic in partem doloris veneris.

PATRICIUS.

Oh! venio lubens.

IRENÆUS.

Ego tibi sum auctor, ipsum ut ab otio retrahas, quàm maximè poteris, & efficias ut te patrem sentiat, & vitæ moderatorem suæ.

PHILOSTORGUS.

Parebo consiliis, Irenæe, & hac de re tecum aliàs plura. Nunc venio ad epistolam, quæ hodie fortè fortunâ in meas incidit ma-

nus, dum ad filium affertur meum.

PATRICIUS.

Quod genus epiſtolæ?

PHILOSTORGUS.

Neſcio, neque verò appoſuit nomen, qui ſcripſit, & tamen parenti ſuo innoteſcere plurimùm refert. Quæſo vos, ſi quod rei dare poteſtis indicium, hoc date.

PATRICIUS.

Cedo iſtam epiſtolam. Scripſit videlicet ex his nebulonibus aliquis, nato qui ſunt familiares tuo.

PHILOSTORGUS.

A nebulone certè ſcriptam dicerem, niſi domo tuâ allatam ſuſpicer.

PATRICIUS.

Tu-ne illam ab Eugenio ſcriptam comperiſti?

PHILOSTORGUS.

Eugenius non ita cum filio conjunctus eſt meo, quàm tuus Philotas. Neque de utrovis quicquam compertum habeo, ſed interrogo; noſti manum?

PATRICIUS.

Non novi.

IRENÆUS.

Novi ego, ni fallor. Nuper inſpiciente & dictante me, ſcribebat ad patruum Philotas,

PATRICIUS.

Quid tum? an eadem eſt epiſtola?

IRENÆUS.

Non eadem epiſtola, ſed eadem, credo, eſt manus.

PATRICIUS.

Quid ais? an Philotas eſt nebulo?

IRENÆUS.

Hìc, inquam, hìc Philotæ agnoſco manum, quamvis diſſimulata ſit aliquantulùm, & ambiguis exarata literulis.

PATRICIUS.

Apage ſis, Irenæe, cum iſtâ ſuſpicione tuâ; tuque, Philoſtorge, à criminatione falsâ te abſtine.

PHILOSTORGUS.

Abſtineo. Philotam amantiorem patris hactenus credidi, quàm ut ſentiret ſimile quid, vel ſcriberet.

PATRICIUS.

Ita prorſus.

PHILOSTORGUS.

Sed ut eſt adoleſcentum ingenium leve, ſubdolum, ad nequitiam proclive. . .

PATRICIUS.

Hoc de filio tuo dixeris, non de meo.

PHILOSTORGUS.

De tuo non dico.

PATRICIUS.

Neque meum temere accuſaveris.

PHILOSTORGUS.

Neque temere accuſo.

PATRICIUS.

Et illum à tanto ſcelere prorſus abhorrere credideris.

PHILOSTORGUS.

Quod jubes, credo. Nunc iſtam redde, quæſo epiſtolam, ut in multas circumferam domos, donec innotuerit manus.

PATRICIUS.

Circumferre nihil opus eſt, igni tradenda eſt, & ego tradam.

PHILOSTORGUS.

At meâ intereſt, & patris, ut ne diu lateat auctor. Neque poſſum ſine culpâ meâ, & alterius periculo. . .

IRENÆUS.

Citra culpam & periculum potes ſecurus eſſe.

PHILOSTORGUS.

Si qua culpa eſt, totam in te & in illum transfero.

IRENÆUS.

Totam in me recipio.

PHILOSTORGUS.

Valete ergo.

IRENÆUS.

Philoſtorge, bene vale, & filium bene rege.

SCENA XV.

PATRICIUS, IRENÆUS.

IRENÆUS *accedit ad Patricium, qui legit epistolam in angulo.*

QUID narrat isthæc epistola? quid docet?

PATRICIUS.

Docet nunquam defore calumniatores, qui falsis criminibus innocentes opprimant.

IRENÆUS.

Bene, nihilne præterea?

PATRICIUS.

Quosdam esse molestos homines, qui alienis rebus temere se, & importunè admisceant.

IRENÆUS.

Optimè. At nonne docet eadem quosdam esse patres nimis erga liberos amore miserè excæcatos?

PATRICIUS.

Tu, qui tam oculatus es, lege, & uter nostrum cæcutiat vide. *Irenæo tradit epistolam.*

IRENÆUS.

Placet.

PATRICIUS.

Sed eâ conditione, ut si hanc epistolam

Philotæ falsò attributam oſtendero, palinodiam canas.

IRENÆUS.

Volo. Legamus (*Epiſtolam recipit.*) *Te amo, tibique gratulor, Pamphile, quòd paternæ auctoritatis jugum excuſſeris; patrem tuum admiror, & rideo, qui tibi moderari velit id ætatis, quo tui juris eſſe debeas. Equidem ſi vigeſimum attigiſſem annum, meus ſciret pater quibus terminis paterna definiatur auctoritas. Gratia Superis, eſt ille bonus vir.*

PATRICIUS.

Quid me reſpicis?

IRENÆUS.

Gratia Superis, eſt ille bonus vir, & hoc uno moleſtus quod me blanditiis oneret, ac propè enecet ſuis. Ferendus tamen eſt, dum vel me illi fortuna, vel illum mihi mors auferat. Profecturus eſt hodiè neſcio quò. Hon!

PATRICIUS.

Quid hæres?

IRENÆUS.

Profecturus eſt hodiè neſcio quò. Ejus profectio conſiliis favet meis. Si res bene processerit, ſciès. Tu rape exemplum de me, ſi ſapis, & vale.

PATRICIUS.

Jam ne vides quàm temere, & injuriâ Philotam in ſuſpicionem adduxeris?

IRENÆUS.

Istud non video.

PATRICIUS.

Tune hanc ipsi etiamnum tribuas epistolam?

IRENÆUS.

Quidni? si quidem & malè dissimulata manus, & aperta verba rem indicant.

PATRICIUS.

Quid si Philotæ manum imitatus est aliquis, ut falsum ipsi crimen imponeret? quod quidem facilè crediderim, si verba meliùs essent ad fraudem composita, sed nullâ ex parte congruunt.

IRENÆUS.

Congruunt nimis.

PATRICIUS.

Quæ verba?

IRENÆUS.

Istæ blanditiæ.

PATRICIUS.

Ah, ah. He. Istæ blanditiæ an sunt filio graves? an solus ego pater qui blandiar liberis?

IRENÆUS.

Ista profectio.

PATRICIUS.

Ista profectio nihil indicat; imò Philotam absolvit qui si de profectione meâ scriberet

non ſemel litteras deleret lacrymis.

IRENÆUS.

Hoc credis.

PATRICIUS.

Credo; & lacrymæ quas mihi profecturo dedit modò faciunt fidem. Sed iſta omittamus licet. Quid ad hæc? *ferendus tamen eſt pater, dum vel me illi fortuna, vel illum mihi mors auferat.* Hæ voces annon tuam ſuſpicionem prorſus diluunt?

IRENÆUS.

Non planè.

PATRICIUS.

Proh! Deus immortalis! adeò-ne homines ſtare in ſententiâ pertinaces! Mortem meam expectat filius qui me plus ſe diligit, qui ſi morbo vel leviſſimo tentari me audiret, tabeſceret luctu.

IRENÆUS.

Luctu tabeſceret.

PATRICIUS.

Omnino.

IRENÆUS.

De Philotâ loqueris, an de Eugenio?

PATRICIUS.

De Eugenio nempe! De Philotâ loquor, atque cùm ægrotabo, vetabo id reſciat, ipſum ne abſumat dolor.

IRENÆUS.

Ne metue. Illum dolor non absumet, idque si metuis unum, jam ægrotare tutò potes.

PATRICIUS.

Ah! Nimium diu Philotæ amorem suspicaris, & fidem; volo te errore isto levare & quidem hodie.

IRENÆUS.

Filium advoca, litteras ostende, & ex voce & vultu indicium cape.

PATRICIUS.

Aliam probationem volo, quæ plus exigat moræ, sed plus fidei habeat.

IRENÆUS.

Non tu profecturus es modò?

PATRICIUS.

Certum est non proficisci priùs quàm suspicionem falsam à filio removerim.

IRENÆUS.

Falsam cupio, nam te amo & Philotam. At cave ne dum filii amorem probas, ea videas, quæ videre nolis.

PATRICIUS.

Scio quid cavendum sit. Tu me aliquid excogitare sine.

IRENÆUS.

Sino, & oro aliquid etiam excogites quo Eugenii animum probes.

PATRICIUS.

Utriusque probatio fiet, & Philotæ & Eugenii.

IRENÆUS.

Utinam sic in Philotâ fallar ego, ut tu falleris in Eugenio!

PATRICIUS.

Quò pergis?

IRENÆUS.

Quoniam per tempus licet, unas aut binas scribo domi litteras, quas tibi profecturo tradam.

PATRICIUS.

Binas, ternas, quaternas, si lubet, scribe in hoc secretiore conclavi, nam te abesse nolo; te rei testem volo.

IRENÆUS.

Adero lubens.

SCENA XIV.

PATRICIUS *solus.*

QUID capiam consilii? aut quas ad artes me conferam? Si fingerem . . . non placet. Quid si . . . neque res bene procederet . . . at enim possum . . . non malè. Illud quidem comicum ac ludicrum est, sed idoneum ad rem. Fingam primò hon, hon,

-hon. *Singula quæ cogitat numerat digitis & imitando exprimit.* Deinde . . . hon , hon . . . interim latitabo. hon, hon . . . ubi tempus erit , prodibo . . . hon , hon , hon. Irenæum advocabo. hon , hon , hon . . . bene , ingeniosè. Pol! magnas utilitates habet ingenium. Ingeniosis hominibus nihil arduum est. Superi! quâ perfundar lætitiâ, cùm Irenæum erroris convicero , & linguam ipsi occlusero. Ignosce , Philota , quod faciam amoris periculum tui. Est ille quidem mihi notus & persspectus , sedenim qui amant & redamari se putant , id verò aliis dubium esse nequeunt pati : rem aggrediamur impigrè. Atenim adjutore est opus.

SCENA XVII.

DOLOPHILUS, PATRICIUS.

DOLOPHILUS in theatrum prodit quasi aufugiens, neque Patricium advertens.

AHY ! ahy ! ahy ! Superi ! indignum facinus ! at illud resciet pater , dicam hercle Patricio , ubi redierit. Ahy , ahy , ahy !

PATRICIUS.

Bene est ; jam me profectum putant. Heus , Dolophile.

DOLOPHILUS.

At, at credebam abesse te. Præsentem gaudeo. Ahy, ahy!

PATRICIUS.

Loquere demissâ voce, furcifer.

DOLOPHILUS.

Ahy, ahy, ahy!

PATRICIUS.

Non vis tacere?

DOLOPHILUS.

An prohibes miseros dolere, & conqueri? ahy, ahy!

PATRICIUS.

Quid clamas! quid quereris?

DOLOPHILUS.

Fuste contrivit humeros tuus ille gnatus.

PATRICIUS.

Eugenius non-ne? ubi est? illum ego...

DOLOPHILUS.

Non Eugenius, sed Philotas.

PATRICIUS.

Ah! Philotas. Jam intelligo quis in culpâ sit; ipsum nempe verbo læseras.

DOLOPHILUS.

Nequaquam. Sed quia te absentem putat omnia pro imperio agit. Immerentes verberat; bacchatur, furit. Monebo certè præsentem adesse te.

PATRICIUS.

Manedum. Nihil opus est me præsentem sciat.

DOLOPHILUS.

Rectè dicis, neque enim præsentem veretur magis, quàm absentem. Ahy, ahy! Recrudescit dolor.

PATRICIUS.

Macte animo, & querelas omitte, veni mecum.

DOLOPHILUS.

Quid me vis facere?

PATRICIUS.

Dicam modo. Adventat aliquis.

EUGENIUS *in post-scenio.*

Dolophile.

DOLOPHILUS.

Me vocat Eugenius.

PATRICIUS.

Cave respondeas. Sequere, propera.

EUGENIUS.

Heus, Dolophile.

SCENA XVIII.

EUGENIUS *cum arculâ quam gestat sub axillâ.*

UBI lates? nemo-ne est qui de Irenæo me doceat? ubi sit, utrum verba de me

cum patre fecerit, quid ab eo responsi tulerit; hoc se renunciaturum promiserat. Nihil retulit. Quid putem? ah! nimium intelligo. Nihil egit, imò quod noluit, quod nescio, mihi exilium acceleraverit. Heu me! . . . Ergo adornanda profectio est, colligendæ sunt sarcinulæ, quas in hâc recondam arculâ; & mecum auferam. Colligere non fuerit longus labor; ex paternis rebus auferam nihil, præter odium, grande onus, & jam diu collectum mihi. Ex maternis opibus nihil mecum asportabo præter hanc pixidem (*Pixidem exerit in quâ depicta matris imago est.*) in quâ matris depicta imago est. Dulce pignus! pretiosa imago sed meis quotidie aspersa ac prope deleta lacrymis. . . O mater! dilecta mater! si qua tibi, post mortem tui cura Eugenii superest (& certè superest aliqua) illum respice, sortem ejus miserere . . . hei mihi! tu quoad vixisti, aderas solatium, præsidium, & salus. . . At postquam te mihi misero immatura mors abstulit, quæ me deinde manus servare potest? cujus opem implorabo?



SCENA XIX.

PHILOTAS, EUGENIUS.

PHILOTAS.

IPSUM te quærebam, Eugeni, dum nemo nos audit, paucis te volo.

EUGENIUS.

Quid eſt, frater?

PHILOTAS.

Iſtud depone, quod geris onus; & audi me, jam diu video & ſummo cum dolore video tecum agere patrem, non ut decet patrem, ſed inclementer admodum. Id certè tuli, & fero ægerrimè.

EUGENIUS.

Multùm tibi debet Eugenius, quòd te miſereat ſui. Faxit Deus, pro iſtâ tuâ in fratrem benevolentiâ, ut ſemper propitium habeas patrem.

PHILOTAS.

Malis tuis indolere parum eſt: his etiam mederi cogito.

EUGENIUS.

Mitte cogitationem iſtam, frater, & me calamitati permittas meæ.

PHILOTAS.

Te-ne patiar iniquâ tamdiu servitute opprimi, nec te illâ coner eximere?

EUGENIUS.

Vani erunt conatus tui, patrem ex infenso reddes infensissimum, hoc efficies unum.

PHILOTAS.

Vis ergo patre semper irato frui, & hoc lentus videam!

EUGENIUS.

Ah! frater, non videbis diu. Patre irato fruar, sed absente.

PHILOTAS.

Quid ita?

EUGENIUS.

Paulò antequàm in viam se daret pater; vocavit me, & minaci voce para te, inquit, ad proficiscendum. Quò me mittis, inquam? Eò, respondit ille, unde neque facilis, neque promptus sit reditus.

PHILOTAS.

Superi! hoccine est patrem esse, nec tu tale prævertas malum?

EUGENIUS.

Nam quid me vis agere?

PHILOTAS.

Operam mihi mutuam pollicere, hoc unum volo.

EUGENIUS.

EUGENIUS.

Polliceor. Quod si tale infortunium averteris, frater, vitam restitueris mihi.

PHILOTAS.

Avertam sanè. Ausculta, quid facere nos conveniat, vide.

EUGENIUS.

Ausculto.

PHILOTAS.

Profectus est pater. Non redibit ante decem, aut quindecim dies.

EUGENIUS.

Sic puto.

PHILOTAS.

Nocte proximâ, cùm totam oppresserit familiam sopor, consurgemus.

EUGENIUS.

Quid postea?

PHILOTAS.

Penetrabimus in illud conclave interiùs, ubi pecuniam asservat pater. Frangemus arcam: auri quantum poterimus auferemus. Crastinâ die bene mane conscendemus equos. Pamphilum nobis adjungemus. Ibimus quò nos cumque tulerit pecunia, & fortuna melior patre. Quid hoc est? stupes! annon hoc consilium placet?

EUGENIUS.

Vis me tentare, frater; de industriâ facis, ex animo non loqueris.

Q

PHILOTAS.

Ex animo loquor.

EUGENIUS.

Ludis, inquam.

PHILOTAS.

Non ludo.

EUGENIUS.

Nunquam tu iſtud mihi conſilium dabis.

PHILOTAS.

Quid habet conſilium hoc, quod improbes.

EUGENIUS.

Imò quid habet quod non improbem? Ego-ne paternâ furtim exeam domo?

PHILOTAS.

Quâ per vim expellendus es brevi.

EUGENIUS.

Si expellendus ſum innocens, malim quàm nocens. Ego-ne pecuniam ſurripiam patri?

PHILOTAS.

Qui tibi pecuniæ impertit nihil, qui ſe oblitus eſt patrem.

EUGENIUS.

Si ſe oblitus eſt patrem, an debeo me oblivifci filium? at tu, Philota, qui me invitas ad fugam, an oblivifceris, quo ſis apud patrem loco? tu-ne deſeras amantem?

PHILOTAS.

Putabam me loqui cum Eugenio, cum fratre. Errorem agnoſco meum.

EUGENIUS.

Non erraſti. Hic fratrem vides, & quidem addictum tibi; ſed indocilem, quod das, pravum & turpe conſilium ſequi.

PHILOTAS.

Conſilium ſcilicet, quod mihi ſuggeſſit amor in te meus.

EUGENIUS.

Credo equidem. Tametſi ſuadere culpam, odiſſe eſt, non amare. Sed ſi conſilium hoc ſuggeſſit amor in me tuus, illud amor idem ex animo evertat tuo.

PHILOTAS.

Eſto miſer igitur; quoniam ita placet, quoniam vis ſemper incaſſum queri, è calamitate nunquam emergere.

EUGENIUS.


Huc tua recidit in fratrem miſericordia, ut miſero convicium adjicias, crudelis!

PHILOTAS.

Abi: miſericordiâ indignus es.

EUGENIUS.

Ah!



SCENA XX.

PHILOTAS, EUGENIUS, DOLOPHILUS.

DOLOPHILUS *dolore ficto exanimatus & ejulans.*

OCCURRIT mihi uterque, commodè dicam, an incommodè. Ah!

PHILOTAS.

Quid tibi vis, furcifer?

EUGENIUS.

Quid affers novi?

DOLOPHILUS.

Ah! triftem utrique nuncium affero, tibi verò maximè, Philota.

PHILOTAS.

Quid accidit?

DOLOPHILUS.

Dum egredior domo, reperi hominem in viâ, qui narravit, ah. . . .

EUGENIUS.

Quid eft?

DOLOPHILUS.

Patricius, herus meus, pater utriufque veftrûm ah! . . . .

EUGENIUS.

Patricius!

PHILOTAS.

Non vis absolvere?

DOLOPHILUS.

Sine me respirare paululùm. Patricius dum Rothomagum petit, equo indomito vectus, ad amici hortos in proximo suburbio positos voluit divertere; trajiciendus fuit pons ligneus. Ibi restitare suspiciosus Equus, urgere Patricius, & ilia calcaribus fodere. Ille doloris impatiens adversùs stimulum recalcitrat. Erigit se in pedes, subsilit, & gravi succussu equitem in altam fossam trans pontem dejicit. Ah! . . .

EUGENIUS *in cathedram decidens vel Scenæ innixus.*

Me miserum! occidit pater, & quidem iratus mihi. Ah!

PHILOTAS.

Quid ploras, Eugeni, quid ejulas? nondum audivisti quid iste casus importaverit mali.

EUGENIUS.

Occidit, inquam, pater, occidit. Hei mihi!

PHILOTAS.

Quin tu narrare pergis?

DOLOPHILUS.

Statim accurrunt cum famulo homines qui

cadentem viderant. Descendunt in fossam, afflictum & jacentem erigunt, suscipiunt manibus, vicinam in domum transferunt, ibi lecto imponitur semianimis, sine voce, sine motu, sine halitu, ut pro mortuo habitus sit. Nullum tamen exstabat vulnus in capite, aut in reliquo corpore. Malum quippe totum erat intus. Tandem variis excitatus modis redit ad se paululùm, attollit caput, vos ambos vocat.

EUGENIUS.

Me vocat ? ah si me novisset pater, amavisset; & noverit, si vivet.

DOLOPHILUS.

Ah! non vivet. Mox cervice lassâ ægrum reponit caput, graves & longos ciet gemitus, morienti similis, & morti proximus.

EUGENIUS *repente surgens.*

Ibo, certe, ibo.

PHILOTAS.

Quorsum ibis ?

EUGENIUS.

Ibo; & extremos spiritus morientis lega:

DOLOPHILUS.

Siste Eugeni, siste; priùs vivere desierit pater, quàm ad ipsum perveneris.

EUGENIUS.

Saltem amplectar mortuum, quem amplecti vivum non licuit. Duc me, Dolophile.

PHILOTAS.

Quo ruis, frater, tu-ne luctu perditus exeas domo, & urbem ululatu compleas?

EUGENIUS.

Sinite (*conatur se subducere, fratri & famulo.*) Patrem videam, & morienti vel mortuo commoriar. Ah, ah, ah!.. Jam morior. *Hîc deliquium animi patitur.*

PHILOTAS.

Frater, curabis patrium funus. Aliæ me manent curæ. Cito aperiendum istud conclave. *Pede pulsat januam conclavis, quasi illam emoturus.*

DOLOPHILUS.

Ego quid faciam?

PHILOTAS.

Quære tibi dominum, & domum.

DOLOPHILUS.

Hui! tam citò, oh! . . .

SCENA XXI.

EUGENIUS, DOLOPHILUS.

DOLOPHILUS *variis succussibus Eugenium excitare tentans.*

ATENIM, Eugeni, quid agis! . . . heus tu, Eugeni, nihil respondes. . . Expi-

rat, credo; Eugeni ... surge ... Eugeni ... vivit pater ... me miserum! occidit ... quid tam diu latitas, here, quid ultra expectas. Veni ocyùs, aut Comœdia nostra veras dabit lacrymas.

SCENA XXII.

PATRICIUS, EUGENIUS, DOLOPHILUS.

PATRICIUS.

AH! caligant oculi! non sum apud me; neque ubi sim sat scio ... Superi! *quid audivi?*

DOLOPHILUS.

At vide ... Eugeni ... non revivi scit.

PATRICIUS.

Philotas!

DOLOPHILUS.

Vivit Philotas. Eugenius occidit. Eugeni, animum extinxit dolor. Eugeni! ...

PATRICIUS *voce flebili filium compellans.*

Eugeni, Eugeni, vive, non sum mortuus; audi me patrem, aspice.

EUGENIUS.

EUGENIUS.

Ah . . . ah. . .

DOLOPHILUS.

Bene est redit ad se. Irenæum accerso, ut imperasti.

SCENA XXV.

PATRICIUS, EUGENIUS.

EUGENIUS, *redit ad se paulatim neminem adesse putans. Stat prope cathedram Patricius filii motus observans.*

HA . . . ha . . . ha . . . vigilo-ne, an dormio ? Ha !

PATRICIUS, *pallio involutus.*

Respice me. . .

EUGEN. *repente aufugiens cùm trepidatione.*

Ah ! Superi ! redit umbra patris. Ah !

PATRICIUS, *brachia & pallium extendens filium prosequitur cum ejulatu.*

Quem fugis ?

EUGENIUS, *territus per theatrum currens.*

Ah ! perii, miser. Ah ! ah ! ah !

PATRICIUS.

Consiste, Eugeni, consiste.

EUGENIUS, *metu exanimatus, uno genu flexo, toto corpore contremiscens.*

Umbra, flebilis umbra, quid me prosequeris? Pater, saltem placabilis esto post mortem.

PATRICIUS.

Umbra non sum. Corpus solidum vides & vivum. Nunquàm fui mortuus.

EUGENIUS.

Tu-ne pater?

PATRICIUS.

Nate, patrem agnosce.

EUGENIUS, *patris genua trepidè amplectens.*

Ignosce, pater optime, si quid. . .

PATRICIUS, *Eugenium complexu tenens.*

Te filium, ah! te filium agnosco meum.

EUGENIUS, *cùm trepido lætitiæ sensu.*

Pater suavissime!

PATRICIUS.

Tu eris deinceps amor patris & deliciæ. Ah! Philota perfide!

EUGENIUS.

Pater amantissime.



SCENA XXVI.

IRENÆUS, PATRICIUS, EUGENIUS.

IRENÆUS, *ad Patricium qui Eugenium complectitur.*

OH! quid iſtud eſt, Patrici. Quænam iſta tam repentina mutatio?

PATRICIUS.

Ah! Irenæe, filium vides, qui ſolus patri ſupereſt.

IRENÆUS.

Nonne vivit Philotas?

PATRICIUS.

Philotas, Philotas! vocem intercludit dolor. Hoccine eſt amari? Philotas, quem exanimatum iri credideram, ſi me tentatum audiret morbo vel leviſſimo, Philotas me morti proximum audivit animo quieto, ſiccis oculis, perfidus!

IRENÆUS.

Non omnes capiunt adoleſcentes quanti ſuâ intereſt patrem diu vivere.

PATRICIUS.

Sic amantem redamat ingratus. Ah! . . . *Dolore obrutus in cathedram cadit, & vultum pallio involvit.*

SCENA XXVII.

PHILOTAS, PYRACMON, PATRICUS, IRENÆUS.

PHILOTAS *in post-ſcenio.*

ISTAM omitte januam, Pyracmon.

PATRICIUS.

Quid audio ?

EUGENIUS.

Occurram, & monebo.

PATRICIUS.

Conſiſte.

PHILOTAS.

Non hoc, ſed aliud reſerandum eſt conclave.

PATRICIUS, *ad Irenæum & Eugenium.*

Abſiſtamus paululùm. Illic deliteſcite, dum. . .

PHILOTAS, *Theatrum ingrediens.*

Citò, citò ſeram hanc mihi revelle.

PATRICIUS, *in Philotam irruens.*

Quò properas, ſacrilege ?

IRENÆUS, *Patricium cohibens.*

Clementer, obſecro.

PHILOTAS.

Superi, ubi ſum ?

PATRICIUS, *in fabrum ferrarium involans.*

Quid agis, furcifer?

PYRACMON.

An mortui reviviſcunt?

IRENÆUS, *ad Pyracm.*

Abſiſte iſthinc ocyùs . . . tuque, Philota, fuge.

SCENA XXVIII.

PATRICIUS, IRENÆUS, PHILOTAS, EUGENIUS.

PATRICIUS.

NUNQUAM hodie effugiet. Tu me vivum & ſpirantem adhuc ſpoliare velis, carnifex?

PHILOTAS *operto capite patrem reſpicit; Irenæus ipſi pileum eximit, & monet ut reverenter coram patre ſe gerat.*

Te mortuum Dolophilus dixerat.

PATRICIUS.

Non dixit. Illum audivi, illic aderam. Sed eſto, dixerit. Tu mortuo ſic parentas, impie!

IRENÆUS.

Abſiſte, Philota!

PATRICIUS.

At quid ceſſas? quin pecuniam & vitam eripis, quin vivum ſepelis, barbare?

PHILOTAS.

Me-ne mortis tuæ cupidum putas?

PATRICIUS.

Illam expetis. Id teſtatum habeo, & dictis, & factis, & ſcriptis.

PHILOTAS.

Et ſcriptis? quibus ſcriptis?

PATRICIUS.

Epiſtolam habeo.

PHILOTAS.

Quam epiſtolam?

EUGENIUS.

Frater, quid iſthic moraris?

PATRICIUS, *epiſtolam Philotæ exhibens.*

Sume, ingrate, lege; aude negare te has ſcripſiſſe litteras.

PHILOTAS.

Non nego, fateor.

PATRICIUS.

Fateris, ego credere non potui, demens! nec te patri tandiu fucum feciſſe pudet, parricida?

IRENÆUS.

Deſine objurgationum, Patrici; te, Philota, non patiar iſthic ultra reſiſtere; abſcede.

PATRICIUS, *in Philotam volens irruere.*

Vix poſſum mihi temperare quin ipſum ruam, agam, rapiam.

IRENÆUS, *Patricium sedere jubens.*

Quiesce, Patrici; teque ad misericordiam revoca.

SCENA XXIX.

PATRICIUS, IRENÆUS, EUGENIUS.

PATRICIUS, *surgens & in cathedram recidens.*

ITA-NE perfidus, impius, barbarus? ah!

IRENÆUS.

Convicia nihil prosunt.

PATRICIUS.

Deficit animus præ dolore.

EUGENIUS.

Fer opem patri, Irenæe, nondum audeo propiùs accedere.

PATRICIUS.

Accede, nate, ne verere, amplectere. Ah! Eugeni, ah fili! dilecte fili! solatium patris unicum . . . ah! ah! Philota, scelerate Philota!

IRENÆUS.

Omitte nos, Eugeni, & amore paterno fac te semper dignum exhibeas.

EUGENIUS.

Id præstabo, quantum potero. Tu, quæso,

patrem Philotæ reconcilia, si potes, & bene vale.

SCENA XXX
ET ULTIMA.
PATRICIUS, IRENÆUS.

IRENÆUS.

NOSTI jam liberos, Patrici.

PATRICIUS.

Ah nimium novi, Irenæe, tu me errore levasti hodie, sed nisi consolaberis, moriar. Philotas perfidus! Philotas! quis hoc crederet? . . . Non, non possum ultra vivere. *Surgit, & in parietem irruit quasi muro caput impacturus.*

IRENÆUS.

Vive, Patrici, vive, ut emendes Philotam; ut ipse te emendes & liberos amare discas.

PATRICIUS.

Certum est, neminem amabo deinceps.

IRENÆUS.

Quid? ne Eugenium quidem amabis? quem tu expertus es tam amantem tui.

PATRICIUS.

Non. Ne fortè amando faciam ex amante perfidum.

IRENÆUS.

Non omnes eodem ſunt ingenio adoleſcentes. Multi ſunt quos parentes amare poſſint, abſque periculo. Nec unquam liberos amando perdit pater, cùm prudenter amat.

PATRICIUS.

Doce igitur quid ſit prudenter amare, nam ego. . .

IRENÆUS.

Non is ego ſum alios qui edoceam. Illud tamen dicam quod ipſa natura præſcribit, & ratio comprobat. Sit æqualis, vel certè videatur æqualis in omnes liberos paternus amor. Ne ſit ſeverus nimis, aut nimis remiſſus; parcus nimis, aut nimis prodigus. Atque ut multa uno verbo complectar, liberos non propter ſe ipſum amet pater, ſed propter ipſos, & id curet ut amando faciat meliores. Ego te nimium moror. Has litteras accipe, & ubi Rothomagum perveneris, ipſe, niſi moleſtum eſt, amicis, quibus inſcriptæ ſunt, redde.

PATRICIUS.

Accipio lubens, & reddam ſedulò, ſed non proficiſcar hodiè.

IRENÆUS.

Ecquid cauſæ eſt cur deſtinatum iter omittas?

PATRICIUS.

Ita ſum æger animo & corpore, ut non auſim pedem efferre domo. Et malè metuo, ne mala tuſſis redeat. Hon, hon, hon. Lectum peto.

IRENÆUS.

Abjice omnem animi ægritudinem, Patrici, & tibi gratulare quòd ſimulando, & quaſi Comœdiam agendo. . .

PATRICIUS.

Hon. Qualem Comœdiam!

IRENÆUS.

Tibi gratulare, inquam, quòd illud deprehenderis in quo parentes errant plerique, quatenus ſint cari liberis, & quomodo ipſi amandi ſint liberi. Vale.

PATRICIUS.

Si me valere vis; fac ut Philotam culpæ pœniteat ſuæ, & Eugenius alterius exemplo ne peccet.

IRENÆUS.

Id præſtabis ipſe, & ſi quid in eâ re potero, adjuvabo. Iterum vale.

PATRICIUS.

Et tu valeto, Irenæe... Ex me documentum ſumite, amore nimio excæcati patres, & alieno edocti periculo, liberos prudenter amare diſcite.

MISOPONUS

SIVE

OTIOSUS,

DRAMA-COMICUM.

ARGUMENTUM.

MISOPONUS, *Juvenis nondum è Tutoris poteſtate egreſſus, malis Sodalium conſiliis & exemplis ad otium traductus, Magiſtratum ſibi à Patre relictum abnuit gerere, & vendi poſtulat. Quâ de re dum apud ejus Avum deliberatur, ipſe cum Sodalibus ludicrum init conſilium de inſtituendâ domi* Otioſorum Academiâ, *jocosè & ridiculè interpretatus Academiam Eruditorum hominum apud Italos inſtitutam, cui nomen* Academia de Gli Otioſi. *Ille hujus Academiæ renunciatur Præſes: delectum habet Academicorum; idoneam Academiæ ſupellectilem comparat; jamque prope eſt, ut admittatur in Academiam feſtivo apparatu, cùm ſanis veteris Condiſcipuli adhortationibus, & variis rationum momentis, ad laborem cum togâ ſuſcipiendum adducitur.*

PERSONÆ.

MISOPONUS, Juvenis otiosus.

TISAGORAS, Misoponi Avus paternus.

TIMANDER, Tutor Misoponi primarius.

CLEOGENES, Misoponi cognatus.

CRITOBULUS, Misoponi amicus.

PÆDOTROPHUS, Misoponi nutritius.

ERGASTUS, Misoponi servus impiger & strenuus.

EUMOLPUS, canendi Magister.

AMPHITHEORUS, Theatrorum assecla.

NEOPISTUS, rumorum auceps & buccinator.

MOROLOGUS, Joculator stultiloquus.

PHILOMELUS, Musicæ studiosus.

DÆDALOCHIRUS, Mathematicus & Mechanicus.

EPIGRAPHUS, Inscriptionum inventor & delineator.

HYDROTHERMUS, Caffæopola.


CHARTOPHORUS, Academiæ aleatoriæ servus.

DROMO, servus olim Misopono addictus.

SCENA PARISIIS

IN MISOPONI ÆDIBUS.





MISOPONUS,
SIVE
OTIOSUS.
DRAMA-COMICUM.



ACTUS PRIMUS.
SCENA PRIMA.
TIMANDER, ERGASTUS.

TIM.

NEMONE hic eſt? venienti aderit nemo? Neminem video; audio neminem. Nondùm credo iſthic loci illuxit dies. Hic altus omnes ſomnus oppreſſos tenet. O domus nuper laboris & vigilantiæ domicilium, quàm diſpari domino habitaris!

ERG.

Demitte, quæſo, vocem aliquantulùm, ſi

potes, Timander, ne pupillus tuus inaudiat. Advenire te quidem, poſtquam nimium diu abſuiſti, & hîc adeſſe gaudeo. Sed pace dicam tuâ, importunè advenis, nondum è lecto emerſit Miſoponus.

TIM.

Quânam igitur horâ ſurgit ille?

ERG.

Quâ non ſurgat horâ facilè dixerim: neque enim ſurgit quartâ matutinâ, non quintâ, non ſextâ aut proximè ſequentibus; hoc certum eſt. Quâ verò ſurgat id planè incertum. Evigilat circa nonam vel decimam; ſed ne continuò credas ſurgere. Unâ ſæpè minùs horâ ter, quater me vocat ſurgenti ſimilis, & ter, quaterque lecto revolutus cadit; ac tandiu, nunc in dextrum, nunc in ſiniſtrum latus recubat, donec ipſa dormiendo fatigatum ejiciat quies. En tinnitum audio. *Auditur ſonus tintinnabuli.* Nunc primùm expergiſcit. Sed iterùm obdormiſcet brevi.

TIM.

Dic adeſſe tutorem è longinquo reducem, qui ipſum evocet.

ERG.

Tutor illi chariſſimus, cum bonâ tuâ veniâ dicam, ſomnus eſt, cui ſe in primis tutandum dedit,

TIM.

Surgat ſanè modò & me alloquatur ocyùs. Dum ejus diu noctuque invigilo rebus, ipſum diu noctuque dormire dedecet.

ERG.

Ipſum admonebo, urgebo, & hic volentem nolentem attraham, ſi potero.

SCENA II.

TIMANDER *ſolus*.

O Superi! quânam in regione, vel gente vivimus? Quæ mala hodiè adoleſcentes opulentos & nobiles alligat inertia! Patres noſtri erant ſomni brevis & longi laboris homines; illorum nepotes contrà nullius laboris ſunt & plurimi ſoporis. Atqui tamen bona labore parta non creſcunt ſomno & otio, ſed diffluunt.



SCENA III.

MISOPONUS, TIMANDER, ERGASTUS.

ERGASTUS, *in post-scenio herum cogens procedere.*

PRODI igitur... prodi, inquam... quid restitas?... prodi vel sic togatus, & tutoris conspectum subi.

MIS. *veste indutus cubiculari, ac blæsâ voce verba supplantans.*

Quòd tibi, Timander, adsim tam malè ornatus, tam incompositus, veniam dabis. Nam quis te hìc loci post tam longam peregrinationem, tam mane adfuturum crederet?

TIM.

Et verò nimium advenio intempestivè! Sol nondum planè medium confecit cursum.

MIS. *respiciens ad solem, ejusque lucis impatiens.*

Itane verò! at ego vixdùm illuxisse credidi. Sed hoc ne mirere, qui me noctu fugit somnus, si occupet interdiu.

TIM.

Hoc nihil miror. Somniculosos homines quovis tempore somnus occupat. Dormitum

adeò per me redeas licet, cum interrogavero de re, quæ & mihi nunciata eſt abſenti, & heri in hanc urbem redeunti confirmata eſt.

MIS.

Interrogare potes, quantum voles, ſed enim ſedendo, quod ſcire cupis, ex me commodiùs audies.

TIM.

Satis audiam commodè, ſi quid commodè reſponderis. Quæro igitur ex te, an tibi certum ſit forenſe munus, quod tibi moriens reliquit pater, alienare & vendere?

MIS.

Certum hoc & fixum eſt; idemque mihi animus hodie, qui ſemper antea fuit, à magiſtratu gerendo planè alienus.

TIM.

Non is tibi animus ſemper fuit, & de ineundo magiſtratu cogitaſti aliquando.

MIS.

Cogitaſſe me haud equidem memini.

TIM.

Non tu cogitabas, cum juri diſcendo operam dares?

MIS.

Qui juri dant operam juvenes, an illi verè de aliquâ re cogitant?

TIM.

Non tu ſubinde cogitaſti, cùm vivo, ſed

decumbente jam patre, initurus magistratum propediem, ætatis veniam peteres, & adnitente me, impetrares?

M I S.

Ne tum cogitavi quidem. Quandiu enim vixit pater optimus, ego curarum in me recepi nihil; huic me meaque permisi omnia; at illo sublato è vivis, cœpi rationes vitæ mecum exigere, ut debui, sedulò, & per otium.

E R G.

Per otium, credo equidem, at sedulò, non ita.

M I S. *ad servum.*

Quid obloqueris? ita sedulò & mecum & cum amicis.

E R G.

Id est cum Morologo garrulo, & risore insulsissimo, cum Amphitheoro Comœdiarum spectatore perpetuo, cum Neopisto rumorum aucupe & buccinatore imprudentissimo, cum aliis juvenibus id genus pigris & inertibus, qui te non tam naturâ, quàm voluntate desidem suis consiliis & exemplis à labore ad otium traduxerunt.

M I S.

At mihi, opinor, ex servo fies censor.

T I M.

Parce obloqui, Ergaste; & herus respondeat sine. Doce me, quæso, Misopone, quæ

te causa forensibus officiis & honoribus tam infensum reddat?

M I S.

Si dixero, non credes.

T I M.

Quidni credam, si quid credibile dixeris?

M I S.

Desidiam credis forsitan.

T I M.

Hanc equidem suspicor.

E R G.

Et illam ego pro certâ causâ habeo.

M I S.

Credite, quoniam ita lubet, credite, per me licet.

T I M.

Dic ergo quæ te alia impediat causa?

M I S.

Dicam apertè. Impedit animi conscientia.

E R G. *ridens.*

Ha! ha! ha! scilicet.

T I M.

Animi conscientia! explica, quæso, istam animi tui conscientiam.

M I S.

Magna est, Timander, neque diffiteris, Senatoris dignitas.

T I M.

Fateor.

MIS.

Magna ſunt, neque hoc neſcis, Judicis officia. Nihil amicitiæ concedere vel gratiæ, non inflecti precibus, non capi muneribus, ſolâ virtute & æquitate moveri, hoc magnæ virtutis eſt.

ERG.

Et magni laboris nonne?

MIS.

Utriuſque: & magni laboris & magnæ virtutis.

TIM.

Iſtud non negaverim. Quid inde?

MIS.

Tantæ virtutis, quam in te, Timander, eximiam eſſe ſciunt omnes, non ſum mihi conſcius.

TIM.

Omitte prædicare de me; verùm quid illud reformides in te recipere, quod in ſe recipiunt tot juvenes, qui, quâ ætate es, Judicum in numero ſedent.

MIS.

Illorum fiduciam non auſim culpare quidem; ſed ne imitari velim, impedit animi conſcientia.

TIM.

Quid? an militiæ nomen dare velis, & avunculi tui, qui caſtra cum laude ſequitur vestigiis inſiſtere.

MIS.

In militiâ magnum audio periculum esse ne quid facias per àrmorum licentiam, aut fieri permittas quod facere, vel permittere non liceat; istud subire periculum vetat animi conscientia.

ERG. *à parte.*

Hoc est inertia.

TIM.

Neque te sinet animi conscientia aliquo in aulâ defungi munere.

MIS.

Aulam ex sapientum judicio & sermone si æstimare licet, ibi virtus parum tuto ingreditur pede, ibi lubrica via est; impulsio multa; lapsus frequens; casus gravis. Hac de re nolle aliis credere, id velle meo experiri periculo, vetat animi conscientia.

TIM.

Nesciebam profectò te ita constrictum esse animi conscientiâ.

MIS.

Ita sum tamen.

TIM.

Sed age, quæ te removet ab omni munere animi conscientia, an non remordet, quòd istam foveas, quam sequeris, vitam inertem & otiosam?

MIS.

Minimè.

TIM.

Et hoc miror: sed ita sunt homines plerique ibi cauti sunt & timidi, ubi res tuta est, ibi securi & audaces, ubi periculum, ubi sæpe flagitium est.

MIS.

Nam quid ego flagitii admitto in quo reclamet animi conscientia? an perditè ludo ut Pæzophilus? an damnosè bibo, ut Oenophilus? an, sicuti Philedonus, insano amore pereo?

TIM.

Intelligo quid non sis; non tu aleator, non helluo, non amator; quanquam hæc omnia per otium fieri potes, & brevi fortasse fies. Sed futura omitto, de præsentibus quæro. Quid non esses, dixisti; dic amabo, quid sis?

MIS.

Quid sim, rogas? ænigma loqueris. Id ego sum, quod sum; quod esse me vides.

TIM.

Apertiùs quæram. Dic mihi quid sis in familiâ, quid in Republicâ?

MIS.

Ego & in familiâ filius, & in Republicâ civis minimè malus.

TIM.

TIM.

Et minimè bonus, nemini utilis, & planè desidiosus.

MIS.

Me-ne Ardelionum esse velis in numero? qui alienis sese negotiis importunè admiscent, semper solliciti, nunquam quieti, invisi aliis & sibi molesti. Oh! non hoc sum natus ingenio.

TIM.

Nolim te in Ardelionum esse numero, sed te otiosorum numero eximi velim; non peto, ut aliena procures negotia, sed tua cures, quantum potes: & aliena interdum reputes tua.

MIS.

Ita mea procuras negotia (quæ tua benevolentia est) ut me de illis omni curâ omnino liberes; aliena verò curare, ubi periculum est, ne quid male consulam, vetat animi conscientia.

TIM.

Me quoque vetat animi conscientia cum juvene tam cauto, tam pio diutiùs contendere. Ad Tisagoram avum tuum me confero; ibi, quos par est, congrego; & cum iis de illo forensi munere quod respuis delibero. Vale & quiesce.

MIS.

Ignosce, Timander, quòd ultrà non subsequor; sic ornatum ulteriùs progredi non decet.

SCENA IV.

MISOPONUS, ERGASTUS.

MIS.

OCYUS, Ergaste, sedem profer ocyùs.

ERG.

En adest tibi. Quin accedis & assides?

MIS.

Cathedram istam propiùs admove: ita me stando maceravit Timander, ut tibias lassitudine fregerit. Ahi!

ERG.

Age, sedendo tibias, & corpus refice.

MIS. *molliter pandiculans, & corpus in cathedrâ librans.*

Quàm malè reficiendo corpori habilis est ista cathedra! quàm riget!

ERG.

Quod genus cathedræ mollius velis?

MIS.

Cathedram ejusmodi velim, quæ totum sic resupinet corpus, ut cubando sedeat & sedendo cubet.

ERG.

Isthic, si vis, lectus insternetur tibi, in quo sedeas, vel cubes, prout videbitur.

MIS.

Volo cathedram, qualem dixi percommodam, qualem vidi nuper apud opulentum & pinguem Molossum, in quâ dormiebat placidè, dum Macrinus poëta infelix versus coram eo recitaret suos.

ERG.

Id curabitur. Vis nunc vestes induere?

MIS.

Volo . . . nolo . . . ut volueris.

ERG.

Illas-ne huc proferam?

MIS. *oscitatur protendens brachia.*

Proferre potes. Ah . . . ah . . . ahi! nescio cur os crebrâ diducam oscitatione, & lentâ pandiculatione tendam brachia. Ah! utrùm satis somno indulserim haud scio satis.

ERG. *hero vestem offerens.*

En tibi vestis, here.

MIS.

Quid tibi videtur?

ERG.

Tibi surgendum esse, ut vestem induas.

MIS.

Aliud quæro, aliud respondes.

ERG.

Quid quæris?

MIS.

Quæro num tibi somno videar indulsisse, quantum satis est?

ERG.

Istud videre tuum est.

MIS. *nictantes oculos aperiens.*

Volo videre . . . sic est . . . videre volo; nec satis video.

ERG.

At vestem utrùm mox induas, vide.

MIS.

Videbo.

ERG.

Illam-ne induis?

MIS.

Non.

ERG.

Illam-ne refero?

MIS.

Non.

ERG.

Quid ergo?

MIS.

Expecta tantillum.

ERG.

Quid ultrà expectem?

MIS.

Oh! nimium es, ut in loquendo, ſic in agendo præceps.

ERG.

Enim verò!

MIS.

Coercendi ſunt iſti acriores impetus.

ERG.

Scilicet!

MIS.

Agendum placidè in omnibus, quietè, leniter, tranquillè.

ERG.

Ahi!

MIS.

Et animo temperandum.

ERG. *pede ſolum proterens.*

O deſidia! deſidia!

MIS.

Etiamnum excandeſcis; tametſi quotidie moneo, etiam efferveſcis.

ERG.

Per Superos. . .

MIS.

Oh! noli Superos inclamare.

ERG. *ringitur interruptâ voce increpans Miſoponum.*

Per homines, quoniam per Superos non licet, iſtum corporis languorem exue, ſi me vis animi fervorem reſtinguere.

MIS.

Pax ſit animo, pax, pax, & corde ſedato reſponde.

ERG.

Ahi!

MIS.

Nemone venit ad me hodie mane; præter Timandrum?

ERG.

Venit Cleogenes.

MIS.

Cognatus ille meus, qui de fundi dominio litigat cum Democrate.

ERG.

Cognatus ille tuus. Scitatum venit, utrùm Judices adieris quos ejus gratiâ aditurum te receperas.

MIS.

Quieſcat, illos adibo.

ERG.

Non quieſcit hercle. Quin miſerè timet, ne adverſarii poteſtate obruatur, ipſum niſi gratiâ adjuves.

MIS.

Quid, malum! perſequitur lites; quin, ut ego, quieſcit!

ERG.

An ſe patrimonio ſciens & volens ſpoliari ſinat.

MIS.

Patrimonium optimum, bona quies. Itaque quiescat. Nemo ad me venit præterea?

ERG.

Adfuit & Pædotrophus.

MIS.

Meus ille nutricius pater?

ERG.

Tuus ille pater nutritius.

MIS.

Quomodo valet ille?

ERG.

Minùs bene. Mihi visus est animo ægerrimus.

MIS.

Doleo: nam illum amo plurimùm & diligo.

ERG.

Rediturum se dixit.

MIS.

Redeat sanè, redeat; ipsum alloquar, cùm erit commodum. Interim quiescat.

ERG.

Vestem ne tandem? . . .

MIS.

Nondum. Lectum antea repeto, desuper recumbo & quiesco.

SCENA V.

ERGASTUS *solus*.

PRô Deus immortalis! quousque tandem cum tali inertiâ mihi conflictandum erit! hic te depono, vestis nimium onerosa. Hic jaceas dum herus quiescit. Miserum me & stolidum, qui me diu noctuque vigilando macerem, & ex alienâ segnitiâ laborem sumam pessimum! dormiat sanè Misoponus quantum lubet. Ejus exemplo vivam deinceps; & quantum potero, dormitabo: quiescamus. *Resupinus in cathedrâ somnum advocat, sed variis cogitationibus interturbatus vigilare cogitur.* Atenim dormiendo res domestica non promovetur. Quid ad me? res hero perit, non mihi; quiescamus. . . Quanquam si res hero perit, peribit & servo. Quid tum? relicto Misopono, ad alium herum convolabo. Quiescamus.

SCENA VI.

PÆDOTROPHUS, ERGASTUS.

PÆD.

AN nondum licet alloqui?

ERG. *sedens in cathedrâ.*

Nondum.

PÆD.

Quorsum autem?

ERG.

Quiescit.

PÆD.

Heu me! quandonam igitur evigilabit?

ERG.


Haud scio. Abi in cauponam proximam; & illic bibe: tum quiesce.

PÆD.

O desidia! ô mala pestis! ut hominum corrumpis mores optimos! Alumnus ille meus, quem olim vidi animo tam vigilem, ingenio tam misericordem, nunc dormit in utramque aurem, & me nutritium negligit suum, qui illum ah! . . .

ERG.

Abi, inquam, & quiescere si minùs potes, nos permitte saltem quiescere . . . quiescamus.



SCENA VII.

DROMO, ERGASTUS.

DROMO, *Ergastum in cathedrâ sedentem quatiens.*

HEus tu, quid isthic agis, Ergaste, conservus olim noster & amicus?

ERG.

Omitte me, Dromo noster, amicus olim & conservus. Quiesco.

DROMO.

Tuum est scilicet quiescere, dum in famulatu vivis. Expecta, dum te fortuna respiciat amico lumine, & è servo dominum faciat. Nunc surge & ad herum deduc me ocyùs.

ERG.

Herus quiescit, & ego quiesco.

DROMO.

Atenim oportet hanc ipsi epistolam tradam in manus.

ERG. *fractas Misoponi voces imitans.* Expecta tantillùm.

DROMO.

Res urget.

ERG.

In omni re agendum placidè, leniter, tranquillè.

DROMO.

Tranquillè ſcilicet, ubi properato eſt opus.

ERG.

Pax ſit animo, pax, pax.

DROMO.

Quàm verè illud dicitur, qualis Dominus talis ſervus.

ERG. *præcipitanter ſurgens.*

Quid tu domino maledicis, & mihi?

DROMO.

Quin tu fungeris officio, & ad herum me deducis?

ERG.

Quin tu herum ſinis quieſcere?

DROMO.

At. . .

ERG.

At, at, at hinc fuge ocyùs, vel quieſce.

SCENA VIII.

MISOPONUS, ERGASTUS, DROMO.

MIS.

QUIS hic tumultuatur, & mihi ſomnum abrumpit? tun' Dromo? quæ te fortuna in has revehit ædes?

DROMO.

Huc me redire & somnum tibi abrumpere adigit hæc epistola quam tibi Themistus citò redditam voluit.

MIS. *epistolam reserans.*

Themistum novi judicem optimum, patri quondam persamiliarem meo. An te sibi famulum adjunxit?

DROMO.

Nondum quidem, sed uti spero, ipsi me addicam brevi. Defuncto clarissimo viro parente tuo, statueram expertem famulatûs vitam ducere, sed me ab otio ad laborem revocat rei familiaris angustiæ.

MIS.

Intelligo quid velit Themistus. Quærit ex me an mihi notus sit & cognatus Cleogenes, cujus lis hodie disceptanda est. Dices notum mihi sanè & cognatum esse Cleogenem.

DROMO.

Mandavit Themistus, ut à te responsi aliquid referrem.

MIS.

Hoc ipsi responsum à me referes.

DROMO.

Nihilne præterea?

MIS.

Cleogenem Themisto impensè commendabis meo nomine.

DROMO.

Obſecro te, nihil de me Themiſtus in iſtis literis?

MIS.

De te? nihil, opinor.

DROMO.

Atqui tamen. . .

MIS.

Manedum: aliquid de te ſub finem epiſtolæ, quod legere omiſeram. De te quærit ex me quo ſis ingenio, quâ fide, quibus moribus. Dices te paulò ſegniorem eſſe & otii amantiorem. Cæterùm. . .

DROMO.

Fui equidem ſegnior & otii amantior, ſed emendavi ſegnitiem, poſtquam illud ſum expertus, quod me admonebat olim herus optimus pater tuus; *Qui laborem fugit, miſeriam reperit.*

MIS.

Dices igitur Themiſto te factum eſſe diligentiorem & bonis eſſe moribus, bonâ fide, bono ingenio.

DROMO.

Id ſi pro tuâ benevolentiâ teſtatum ſcripto velis magnum mihi contuleris beneficium.

MIS.

Tibi certè volo bene. Sed ſcripto nihil opus eſt: id me tibi dixiſſe tu ipſe teſtaberis.

DROMO.

Atenim. . .

ERG.

Atenim quid expectas? nihil aliud impetrabis. Non tu nosti hominem qui pro suâ humanitate bene velit omnibus, præ desidiâ bene faciat nemini?

DROMO.

Verùm. . .

ERG.

Verùm exi, propera, & quod responsi à Misopono refers, ne tibi currenti excidat cave.

SCENA IX.

MISOPONUS, ERGASTUS.

MIS.

ISTAM aufer epistolam, Ergaste, & cum iis repone literis, quibus jam responsum est.

ERG.

Literas quibus tu responderis nullas equidem scio. Responsurum te sæpe àis, sed nihil dàs literarum interim.

MIS.

Dabo certè hodie; dabo.

ERG.

Habes quibus debeas hercle plurimos.

MIS.

Videndum est quibus.

ERG.

Hanc capsam literariam inspice.

MIS.

Unde mihi quæso ista succrevit tanta literarum seges?

ERG.

Ex alienâ diligentiâ, tuâque negligentiâ.

MIS.

Nescio quis malè feriatus homo insulsum & inanem istum epistolaris commercii morem induxerit; quasi homines multò magis ament inter se, cùm se verbosâ amoris & obsequii significatione invicem obruunt per literas.

ERG.

Malè profectò de hominum societate commeruit, quisquis ope literarum absentes amicos reddidit præsentes quodammodo, & disjunctos locis conjunxit alloquii vicibus. Sed parce conqueri. Amicorum ad te scribentium numerus decrescit in dies, & brevi opinor, nemo te literis provocabit.

MIS.

Ita fieri pervelim. Aliquid tamen aliquibus rescribendum est; quoniam solito maturiùs surrexi hodie, & sodalium nemodum ad me venit. Cedo chartam & calamum.

ERG.

En tibi charta, atramentum, calamus, illic habes ceram & sigillum.

MIS.

Das sigillum, & ceram, at cereum des priùs, & accendas oportet.

ERG.

Accendetur, si opus erit.

MIS.

Ain' tu si opus erit? hoc credo dubium est? etiam hic stas? quid igitur respicis?

ERG.

Respicio utrùm accendi velis?

MIS.

Annon dico tibi ut properes?

ERG.

Non hoc mihi, at tibi sanè dicito. Properò tamen.

MIS. *epistolas evolvens.*

Statuendum est quibus respondeam primùm, quibus deinde, quibus ultimùm. Nam in re quâque ordo plurimùm juvat. Habenda est, opinor, ratio temporis: atque (ut fit in ære solvendo) primis creditoribus primò faciendum est satis.

ERG.

Accensum tibi appono cereum. At nihil dum tu extraxisti literarum?

MIS.

MIS.

Non ita sum in agendo properus, ordine volo progredi.

ERG.

Prudenter: sed vereor ut primum quid invenias, unde incipias.

MIS.

Occurrunt primò literæ datæ mense Januario, anno millesimo septingentesimo trigesimo nono * mense Januario, Januario, Martio, Februario, Januario, Aprili, Martio, anno septingentesimo trigesimo nono, trigesimo octavo, nimium vetustæ sunt istæ literæ. Quid censes?

ERG.

Ita censeo: pernimium vetustæ sunt istæ literæ.

MIS.

Qui scripserunt, jam se misisse non meminerunt.

ERG.

Non ita censeo.

MIS.

In recentiores incido. His verò respondendum est si quid tamen responsione dignum offerent.

ERG.

Oh! dignum offerent nihil.

* *Agebatur hæc Fabula, anno* 1740.



MIS.

Iſtud verò unde compertum habes? tune has legiſti literas?

ERG.

Nequaquam. Tametſi eas vulgò relinquis in menſâ apertas & omnium propoſitas oculis, ſed hoc lego in tuis moribus.

MIS.

Malè legis. Literæ datæ primâ Octobris, anno milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo nono. Scribit junior Evagoras in foro civili orator regius. Quid autem ille? ... invitat me ad ruſticandum in ſuâ Rhemenſi villâ, & ibi aliquid juris civilis ſecum animo placidè recolendum, ſed invitabat me ut irem ad ſe per ferias autumnales anni ſuperioris. Jam effluxerunt illæ autumnales feriæ, certum eſt me non iturum. Quæ tua opinio eſt?

ERG.

Sic opinor. Non ibis anno præterito.

MIS.

Quamobrem nihil reſpondendum eſt.

ERG.

Nihil prorſus.

MIS.

Quid ſibi vult iſthæc epiſtola, quæ luctum præfert atratâ cerâ. Annulum Democratis agnoſco qui mihi ex amico haud pridem factus eſt affinis, juncto cum meâ conſobrinâ

matrimonio. Nunciat de morte iſtius conſobrinæ meæ, quam ſibi ait fuiſſe conjugem cariſſimam, fœminam optimam. Pol! damnum ingens! cara conjux, bona fœmina.

ERG.

Hoc majus damnum, quod aiunt rarius eſſe bonum. Itaque huic viro cariſſimâ conjuge orbato aliquid ſolatii per literas dandum eſt.

MIS.

Oh! conjux vel cariſſima ſi uno menſe lugetur aut altero, ſatis lugeri creditur. Tertio menſe luctus omnis expungitur ex animo, ſolâ veſte retinetur. Quartus autem menſis eſt ex quo ſuâ conjuge cariſſimâ orbatus eſt Democrates. Solatio jam non indiget, itaque nihil reſcribendum eſt. Quid tibi videtur?

ERG.

Idem quod tibi.

MIS.

Scribendo vulnus refricarem, quod jam obductum eſt.

ERG.

Omnino.

MIS.

Ergo nihil reſcribendum eſt.

ERG.

Oppidò.

MIS.

Vides nihil esse in his tot literis, quod resronsionem exigat.

ERG.

Video. Nihil ne tandem in illâ epistolâ quam adverto multos jam dies tuo insertam codici Musico.

MIS.

Illam exhibe. Hanc ad me dedit epistolam Eusebia avia materna, mihi carissima, quæ mihi bene semper voluit & bene fecit non semel.

ERG.

Et bene facere nunc etiam potest.

MIS.

Quocirca negligenda non est. Ad illam rescribendum certè est.

ERG.

Factum bene quòd digna demum tibi occurrat epistola ad quam rescribas.

MIS.

Nil moror. Quâ die vivimus?

ERG.

Die decimo Februarii. . . *

MIS.

Quânam autem die profecturus est tabellarius, qui has delaturus est literas.

* *Hac ipsa die agebatur Fabula.*

ERG.

Expecta dum in Ephemeridem inspiciam: Proficiscitur iste tabellarius bis in hebdomade, die Martis & Sabbatho.

MIS.

Die Martis & Sabbatho? dies Martis præteriit, dies Sabbathi nondum advenit. Diem prævertere nihil attinet. Scribam die Sabbathi.

ERG.

Rectè: istud verò non prævideram (*à parte*) hic me fefellit heri desidia.

MIS.

Tu me admonebis die Sabbathi, si fortè omittam scribere.

ERG.

Admonebo. O desidia! desidia!

SCENA X.

EUMOLPUS, MISOPONUS.

EUM.

AN canemus hodie?

MIS.

Ultro, libenter; accede Eumolpe & mihi asside.

ERG.

Ego abſcedo. Nam cantum muſicum non amo, niſi adſit ſambuca rotata & ruſticana.

EUM.

Gaudeo, quòd te tandem erudiendum ultro præbeas.

MIS.

Ultro certè. Quanquam dubito ſitne mihi vox ſatis liquida. Nam ſolito maturiùs ſurrexi hodie.

EUM.

Satis liquida eſt. Et canendo fiet liquidior. Aggredere. *Numeros cantitando modulatur: deinde verba modis aptat.*

Volez, volez à la gloire,
Quittez, quittez un indigne repos,
Le laurier immortel, que donne la Victoire,
Ne croît point parmi les pavots.

MIS.

Iſta non poſſum canere. Iſti numeri ſunt nimium turbulenti. Volo remiſſum aliquid & tranquillum.

EUM. *iterum numeros modulatur, deinde cantilenam adjicit.*

Dabo quod optas.

Par mille maux,
Mille travaux,

Dans la paix, dans la guerre,
Sur la mer, sur la terre,
On cherche le repos.
Pour le trouver, l'effort eſt inutile;
On perd ſes pas,
Quand on le cherche, on ne le trouve pas;
Pour moi je demeure tranquille,
Et ſans ſortir de ces lieux,
Je le trouve en fermant les yeux.

MIS.

Placent mihi verba & numeri dulce aliquid & placidum ſonant.

EUM.

Quoniam placent, canta & exequere.

Par mille maux,
Mille travaux.

Audi me.

MIS.

Audio.

EUM.

Audis, ſed non canis.

Par mille maux,
Mille travaux.

MIS.

Utrùm canam, an canentem audiam perinde eſt.

EUM.

Aliud planè maximèque diversum est. Itaque canta.

Dans la paix, dans la guerre,
Sur la mer, sur la terre,
On cherche le repos.

MIS.

Ita fit. *On cherche le repos.*

EUM.

Pour le trouver, l'effort est inutile;
On perd ses pas.

Comitare me.

Pour le trouver, l'effort est inutile.

MIS.

Comitari nihil opus est.

L'effort est inutile.

EUM.

On perd ses pas,
Quand on le cherche, on ne le trouve pas.

Attende.

MIS.

Attendo & intelligo.

Quand on le cherche, on ne le trouve pas.

EUM.

Pour moi je demeure tranquille.

MIS.

Sic facio. *Je demeure tranquille.*

EUM.

Et sans sortir de ces lieux,
Je le trouve, je le trouve en fermant les yeux.
Répéte, *je le trouve, je le trouve en fermant les yeux.*

Obmutuisti. Dormis, credo.

MIS. *nictando claudit oculos.*

EUM.

At dormiendo nihil proficis.

MIS.

Satis proficit qui satis dormit; aliàs plura: Cras redibis.

EUM.

Quotidie redeo, & eundem te semper invenio.

SCENA XI.

AMPHITHEORUS, MOROLOGUS, MISOPONUS.

AMPH.

De te apud te conquestum venio, Misopone.

MOR.

Ego tibi narratum venio, ha, ha, ha.

MIS.

Nam quæ conquerendi causa?

AMPH.

Dicam, narret Morologus anteà.

MIS.

Imò narrabit posteà.

MOR.

Prior eloquar, an posterior, nihil interest; dummodo eloquar. Dic, Amphitheore, dic. Interim in hoc sedili sedeo. Ha, ha, ha! ... *Sedet in inferiori sellulâ.*

AMPH.

Comœdorum ad te querelam defero. Nam me illorum scis & clientem & patronum.

MOR. *à parte.*

O ridiculum caput! Ha, ha, ha!

AMPH.

Atenim. . .

MIS.

Non attendit quid dicas; tu quid garriat noli attendere, & doce, quid de me conquerantur viri, quibus semper volui & volo bene.

MOR. *à parte.*

Ha, ha, ha.

AMPH.

Queruntur quod heri neque in Theatro, neque in Amphitheatro conspicuum te dederis, dum nova daretur Comœdia, cui nomen ARDELIO sive HOMO NEGOTIOSUS.

MOR. *à parte.*

O cœna! Superûm cœna! Ha, ha, ha.

MIS.

HOMO NEGOTIOSUS! ridicula sanè persona, quam exhibere nolim: spectare velim, & ridere.

AMPH.

Aiunt se brevi daturos in Theatrum HOMINEM OTIOSUM. Rogant ut intersis.

MIS.

Adero spectator & actor otiosus, si volent.

MOR. *à parte.*

Ne vivam, neque bibam, si quid unquam vidi vel audivi festivum magis. Ha, ha, ha.

MIS.

Gaudere te gaudemus, Morologe; tu narra modo, & tuum nobis gaudium impertire.

MOR.

Narrabo lubens, nam lubens narro: narrabo igitur de Onagrio hominum quotquot sunt vel fuerunt, vel erunt, insulsissimo. Nostis hominem?

MIS.

De illo nunquam audivi.

AMPH.

De sumptuosâ ejus in conviviis lautitiâ audivi aliquando.

MOR.

De illius stultitiâ audietis modo. Apud illum cœnavi heri & hodie:

MIS.

Quid ais heri & hodiè? an cœnas etiam manè?

MOR.

Manè & serò, serò & manè. Nam horâ decimâ ad mensam assedimus. Cœna ultra mediam noctem producta est; ibi strenuè pugnavi, non gladio, sed poculo. Pugnando tamen defatigatus sum, sed non ridendo. Ha, ha, ha!

MIS.

Quid ergo ridiculi accidit?

MOR.

Accidit, ha, ha, ha! accidit, dum Onagrius qui omnium artium ignarus est, & se omnis artis gnarum putat, ha, ha, ha! qui in componendâ bibliothecâ, ut historiam Romanam haberet integram, omnes libros comparavit, qui vocantur *Romanenses*. Ha, ha, ha! qui, ne sibi deessent codices manuscripti veteres, jussit libros manuscribi recentiores. Ha, ha, ha! qui Musicæ inprimis studiosus est, & nihil Musicæ discere potuit. Ha, ha, ha! dum Onagrius laudat opera Musica & cantores; dum ipse lugubrem Orphei querelam canit flebilem & ridiculum in modum. Ecce tibi repentè Asinus in viciniâ suspirare suo more suaviter, & eleganter canere. *Rudentem Asinum voce imitatur.* Tum ego: au-


din' tu, Onagri? tu verus Orpheùs es, te canente, Asinus trahitur dulcedine cantûs. An putas, respondet Onagrius, tam stupidum animal moveri posse cantu? puto certè, Onagri, quin & Asinum audivi qui musicè caneret. Tune audivisti? rogat ille. Audivi, inquam, & si lubet faciam ut ipse audias. Tu modo perge canere; pergit ille & canit. Ibi admirari convivæ omnes & furtim irridere stuporem hominis, qui se Asini nomine à me designatum non intelligeret. Ego ridere apertè & exclamare, O suavem cantum! *iterùm rudentis Asini sonos exprimit!* ha, ha, ha! nōn tu hominis errorem ridiculum rides?

MIS.

Error ille quidem ridiculus, at nolim hominem qui me ad cœnam invitaverit convivis ridendum propinare.

MOR.

Non ille me invitaverat, ego ipse me invitaveram: Asini autem id genus bipedes, dum exercent artes quas ignorant, annon ipsi se aliis ridendos propinant? ha, ha, ha.



SCENA XII.

NEOPISTUS, MISOPONUS; AMPHITHEORUS, MOROLOGUS.

M I S.

Quid novi affert Neopiſtus?

N E O P.

Nihil. Omnia circumcurſavi loca ubi nunciorum eſſe concurſus ſolet. Illic novi dicitur nihil.

M I S.

Nihil prorſus?

N E O P.

Omnino nihil.

M I S.

Res verò nova, quod nihil novi afferas.

M O R.

Res abſurda. Aliquid certè novi dicas oportet.

N E O P.

Quid vis dicam?

M O R.

Quod ſcis, quod neſcis.

N E O P.

Me-ne vis fingere?

MOR.

Finge, nihil vetat. Qui narrant de rebus domi militiæque gestis, nonne fingunt & mentiuntur? Ha, ha, ha!

NEOP.

Nihilne tu, Misopone, ad quem omnes undique confabulatum veniunt?

MIS.

Nihil peregrinum; sed domesticum audies aliquid, si lubet.

MOR. *sellulam admovens.*

Audiamus sanè, audiamus, nam peregrina non curo, amo domestica, & millies audire malim de rixis intra privatos parietes exortis, quàm de bellis terrâ marique pugnatis. Superi! ut me juvant vicini mei Antinous & Eryphile, amantissimi conjuges, quibus in otio maximo id unum negotii est, jurgari inter se & appetere se mutuò conviciis elegantibus (de trivio & macello arreptis scilicet) qui nuper, nisi forte fortunâ in eorum ædes irrumperem, ædepol à contumeliis rem deducerent ad manus, & egregiè se pugnis & unguibus pecterent, ha, ha, ha! *Lixas inter se certantes pugnis, & habitu corporis imitatur.* Sed loquere tu, Misopone, narra nobis, ha, ha, ha!

MIS.

Non est historia longa; longum uti spero

mihi erit otium. De vendendo magistratu quod sæpe suasistis fieri, impetravi tandem ut fieret, & hodie fit.

NEOP.

Id jamdiu factum oportuit, nam quid tu onus cum munere suscipias, qui omni onere carere potes?

MIS.

Sic puto.

AMPH.

Quid prosit patre natum esse divite, nisi divitiis ejus per otium frui liceat?

MIS.

Sic existimo.

MOR.

Annon satis se labore tuus exercuit pater, ut quiescas? Ha, ha, ha!

MIS.

Ita sentio.

MOR.

Rectè Sentis. Crede mihi, vel si desipuisses antea, nunc te septem Græciæ Sapientibus annumerandum putem. Ha, ha, ha!

MIS.

Non me Græciæ, sed Italiæ Sapientibus annumeratum velim, quorum est illud effatum, * *Bella cosa far niente.*

* *Proverbium Italicum:* præclarum est agere nihil.

MOR.

Repete, quæso effatum illud, ut in tabellas referam. *Bella far... Tabulas ad scribendum exerit.*

MIS.

Bella cosa far niente, id est nihil facere.

MOR. *proverbium scribit in tabulis.*

O sapiens dictum! quàm mihi sapit! *Bel... bel ... bella.cosa far.far far nientè*, he, he, he!

AMPH.

Far niente, *bella cosa*, ædepol bellissima.

NEOP.

Far niente, res herclè suavissima.

MIS.

Placet & mihi instituta apud Italos * *Academia de gli otiosi.*

MOR.

Academia de, de, de quomodo dicis?

MIS.

Academia de gli otiosi, id est otiosorum.

MOR.

Academia de gli otiosi. Præclara institutio; ha, ha, ha!

AMPH.

Academia de gli otiosi. Academia prudenter instituta, in quam sine doctrinâ, sine com-

* *Titulus Italicus. Academia Otiosorum hominum.*

mendatione, sine ambitu facilis pateat aditus.

NEOP.

Academia de gli otiosi. Egregia prorsus Academia! valeant laboriosæ illæ scientiarum, numismatum, linguarum Academiæ; vivat Academia otiosorum.

MIS.

Scitis eâ de re quid mihi venerit in mentem?

MOR.

In Italiam migrare forsitan; & ibi habitare in *Academiâ de gli otiosi*.

MIS.

Commodum aliquid magis, & magis gloriosum.

MOR.

Quid istud?

MIS.

Isthic apud nos instituere Academiam otiosorum.

MOR.

Pulcrè! ha, ha, ha!

AMPH.

Ingeniosè!

NEOP.

Opportunè!

MIS.

Reclamabunt è nostris senibus multi, cre-

do equidem, reclamabit inprimis avus meus Tisagoras, & sexcenties illud suum occinet effatum *ne quid innovetur.*

MOR.

Reclament illi sanè queruli & clamosi senes. Ego ridebo, ha, ha, ha.

MIS.

Vobis igitur placet ejusmodi Academiam institui.

AMPH.

Instituatur.

NEOP.

Instituatur.

MOR. *porrecto petaso annuens.*

Instituatur.

MIS.

Instituetur. Deligendus erit Præses.

AMPH.

Deligatur.

NEOP.

Deligatur.

MOR.

Deligatur.

MIS.

Deligetur.

MOR.

Imo tu, Misopone, Præses esto.

MIS. *gratias singulis agens, simul ac ferunt suffragia.*

Oh!

AMPH.

Esto.

MIS.

Oh!

NEOP.

Esto.

MIS.

Oh! suffragiis vestris refragari est nefas. At vos pariter munus aliquod in Academiâ sustinere par est.

AMPH.

Ego Comœdis sæpè rogantibus, ut sibi aliquid operis scriberem, nunquam annui. At, nisi renuitis, me Academiæ scriptorem & scribam offero.

MIS.

Annuo.

NEOP.

Annuo.

MOR.

Annuo.

NEOP.

Vultis ego sim Academiæ Mercurius? Quidquid ubique rumorum spargitur colligam & afferam.

MIS.

Volo.

AMPH.

Volo.

MOR.

Volo, ha, ha, ha! tu eris noster Pegasus; ha, ha, ha! Ego Academiæ Janitor & Cerberus. *Accedit ad ostium, ibique stat instar satellitis.* Meum erit admittere, qui admittendi sunt; & ejicere, qui sunt ejiciendi.

MIS.

Fiat.

MOR. *Morologus continuis salutationibus, & perpetuo risu suffragium ferentibus annuit.* Ha, ha, ha!

AMPH.

Fiat.

MOR.

Ha, ha, ha!

NEOP.

Fiat.

MOR.

Ha, ha, ha!

MIS.

Nunc solvamus consessum. Serò convenie-mus sub quartam; & dum cognati mei & affines de vendendo meo forensi munere, & eligendo emptore deliberant, nos de Academicorum delectu, præmissâ brevi oratione Academicâ deliberabimus.

AMPH.

Superi! quàm illud facetum erit!

NEOP.

O lepidum nuncium, & in nuncios publicos referendum!

MOR.

Moriar, Ha, ha, ha! nisi mihi videor Comœdiam agere. Ha, ha, ha!



ACTUS II.

SCENA PRIMA.

ERGASTUS.

ERG. *pulverem è libris sufflando excutiens.*

PHU! Phu! quantum pulveris isti collegerunt libri, ex quo manus & oculos ab iis herus abstinet. Phu! Phu! iste pulvis, qui hero dicitur conciliare somnum, mihi cerebrum concutit, & excitat sternutamentum. *Sternutat.* O exquisitum tabacum & efficax! *iterùm sternutat.*



SCENA II.

CRITOBULUS, ERGASTUS.

CRIT. *Ergastum sternutantem alloquitur.*

TIBI bene sit, Ergaste.

ERG.

Salvus sis, Critobule.

CRIT.

Vah! quàm es in tractandis libris diligens! vis, credo, fieri doctus?

ERG.

Equidem si doctrinam ex plurimâ librorum tractatione æstimem (ut æstimant juvenes plerique) possim mihi doctus videri. Nam libros quibus in scholis utebatur herus tractavi sæpe, cùm ipsi adessem in Collegio pedissequus.

CRIT.

Memini. Illic te vidi, ubinam autem herus ille tuus?

ERG.

In Bibliothecam se conjecit hodie, ut veterem recognosceret supellectilem; sed nisi me fallit opinio, ibi non morabitur diu. En prodit.

SCENA III.

MISOPONUS, CRITOBULUS; ERGASTUS.

MIS.

ERGASTE, libros diligenter excute, quos in Bibliothecâ sepositos videbis; tùm afferes.

CRIT.

Te amice, convictor & condiscipule, in libris totum esse gaudeo: ad pristinas ingenii tui delicias te refers nimirum. Nam te memini cum unà literis daremus operam in legendo fuisse indefessum: nullus erat poëta vel orator melioris notæ, cujus tu succum non animo combiberes.

MIS.

Legebam multùm equidem, & legendo tædium animi fallebam.

CRIT.

Et legebas multùm & plurimùm intelligebas. Teque lumen fori clarissimum aliquando fore jam tum præsagiebant omnes.

MIS.

Fallunt sæpe ducta de adolescentibus præsagia.

sagia. Succedente tempore, alia succedunt studia, aliæ cogitationes.

CRIT.

Et verò te nunc abhorrere à forensi luce; & de vendendo munere paterno cogitare audivi modò. Vix certè crediderim te velle togam repudiare, quæ in familiâ tuâ tanto tempore cum tantâ laude gesta est, hodieque geritur.

MIS.

Quæ tandiu gesta toga est, vetusta est, obsolevit, abjicienda est.

CRIT.

Toga forensis non vilescit usu, sed inclarescit. Illam certè si abjicis, non deerunt qui velint tollere & assumere. Ipse me emptorem offero, & nisi te veteris condiscipuli piget aut pœnitet, aliis me, opinor, emptoribus antepones.

MIS.

Te, ut cæteris semper anteposui condiscipulis, sic aliis emptoribus antepositum volo. Sed ne quis te antevertat, ad Timandrum convola, qui nunc est apud Tisagoram, ubi agit de hoc forensi munere, & rem transigit.

CRIT.

Ad illum impigrè convolo; & quo sim apud te loco, ipsi denuncio.

Mis.

Perge, propera, occupa forense munus. : ego de alio magistratu cogito. . . heus tu, Ergaste, libros affer, quos designavi tibi.

SCENA IV.

ERGASTUS, MISOPONUS.

Erg.

En tibi affero. Sed illud ex te scire aveo; cur hodie bibliothecam tanto post tempore subieris; cur te ad legendum ex tam longinquo referas?

Mis.

Quia incumbit mihi scribenda oratio.

Erg.

Aliquid tibi scribendum incumbit? Abscedo paululum abs te; & illic excubo. Nam te memini, cum aliquid olim scriberes, tecum solitum habitare solum, & attentè meditari. *A parte*, tandem herus ad laborem redit. Hanc ipsi mentem facite perpetuam, Superi.



SCENA V.

MISOPONUS *solus.*

INSTITUENDA mihi & adornanda otii laudatio, quam in Academiâ recitem. Unde mihi rerum copiam & verborum comparabo? Quæstiones Academicas scripsit Cicero in otio, cùm à negotiis vacaret. Nihilne ibi de otio Academico. *Ciceronis libros volvit & revolvit. Quæstionum Academicarum liber primus; diversæ Philosophorum sententiæ de sapiente, de beatâ vitâ.* Quid opus est de re tam certâ tam multis disserere? vera sapientia, vera beatitudo est nihil agere. Facessat itaque verbosus orator cum suis Academicis quæstionibus supervacaneis. Convertamus nos ad recentiores Academicos. *Panegyricæ Orationes habitæ in Academiâ. Legit, hon, hon, hon. Vir fuit studiis magnoperè deditus.... incredibili animi contentione abstrusa quæque scrutabatur, evolabat ad sublimia... Nunquàm existimavit ingenium, pretiosum illud munus, sibi à naturâ concessum, ut operæ ac labori parceret... à teneris assiduo & quotidiano labori assuetus studiis suis unicè delectabatur.* Ubique labor, ubique studium, ubique

animi contentio. Ista laudibus celebrare tritum & vulgare est. Otium laudare, hoc singulare, hoc præclarum est. Missos faciamus omnes ad unum libros quibus evolvendis opera luditur: illos imitemur felicioris ingenii viros qui sibi sunt ipsi unus & omnis liber.

SCENA VI.

ERGASTUS, MISOPONUS.

ERG.

HERE, video tibi manum cessare & ingenium. En tua tibi Tabacotheca, illam tibi appono, tu fume, aperi & inde sententiarum & verborum acumina exere.

MIS.

Absiste.

ERG.

Multos certè novi, quibus ingenium videatur in Tabacothecâ reconditum: muti sunt ac stupidi, nisi verba & sententias ex Tabacothecâ hauriant.

MIS.

Abscede, inquam.

ERG.

Ipse mihi, sumpto tabaco, videor ingeniosus.

SCENA VII.

MISOPONUS *solus. Cogitans ac meditans quasi se ad scribendum accingeret.*

OTII laudandi argumentum & initium quæro. Possum, opinor... sic est..: omnino possum otii principium ab ipsâ repetere ætate aureâ. Ætas illa ignorabat aurum, sed otium noverat; & hoc ipso fuit aurea, quia otii plena. Bene: ab illâ ætate aureâ licebit ad primam omnium Academiam progredi, quæ hominum fuit abundantium otio, & in Academi hortis otiosè deambulantium. Rectè... ab illâ veteri Academiâ, in scholas descendam. Schola, si quid Græci sermonis residet in animo, schola otium sonat & designat. Vah? miseri adolescentes, qui jura ignorant sua; & se, cum dantur in scholam, in otium dari non intelligunt. A scholâ fiet gradus in aulam. Ibi Regum nostrorum alii quidem *audaces* dicti, alii *justi*, quidam *magni* sed multi quoque *otiosi* appellati sunt; & otium unicè coluerunt. Gaudeant certè Academiæ quædam patronis regibus; nostra Reges alumnos sibi gratulabitur. Aggrediamur ad scribendum. Undenam autem dicendi exordium sumam? Etsi vereor, sodales otiosi, ne..:

Quanquam mihi otiosus conspectus vester multò jucundissimus . . . . tamen . . . tamen scribere orationem hominis operosi est, non otiosi . . . heus Ergaste . . . *surgit.*

SCENA VIII.

ERGASTUS, MISOPONUS.

ERG.

JAMNE tibi scripta oratio est?

MIS.

Quære mihi aliquem manu & ingenio promptum hominem, qui oratione brevi, sed lepidâ vitam laudet otiosam, & otiosi viri concinnet laudationem.

ERG.

Vis laudare otium, & alium à te laudatorem quæris? in isto argumento, qui sit magis, quàm tu, versatus reperies neminem.

MIS.

Ego sum meditando defatigatus. Tu mihi scriptorem reperi aliquem; illi non peribit opera; neque tibi.

ERG.

Quid mihi mercedis erit?

MIS.

Hæc Tabacotheca, quam tibi (ne me ver-

ba dare putes) jam trado in manus. Servabis, si reperies quem peto; sin minùs, restitues.

ERG.

Quæram tibi oratorem, quem petis. Interim adest Pædotrophus, orator disertus, qui tempus quod tibi vacuum est, impleat suis narrationibus.

SCENA IX.

PÆDOTROPHUS, MISOPONUS.

MIS.

SUCCEDE, Pædotrophe, quomodo tibi est?

PÆD.

Quomodo cui nihil bene est.

MIS.

Ut se habet Galatea, conjux tua, nutrix mea carissima.

PÆD.

Ita se habet, ut res nostræ se habent.

MIS.

Res autem vestræ, quomodo?

PÆD.

Quomodo hujus sæculi homines; quotidie ruunt in pejus. Nam ex quo mortem obiit Philoponus, pater tuus, vir optimus, magna apud nos facta rerum conversio est.

MIS.

Illic ſede; & narra quid evenerit.

PÆD.

Oh! ſedere coram te non licet.

MIS.

Sede, inquam.

PÆD.

Non faciam.

MIS.

Sta igitur.

PÆD.

Sedebo, quoniam jubes. Nam ut aiunt inurbanum præſtat eſſe quàm importunum. Jam narrabo tibi. Cum ego & Galatea nutriendum te accepimus. . . Longinqua refero, nam infantulus eras, & puſillus ut... nunc verò grandis es ah! . . .

MIS.

Præterita omitte & præſentia perſequere.

PÆD.

Ah! præterita iſta ſemper erunt animo præſentia. . . Cùm, ego inquam, & Galatea nutriendum te accepimus, omnes continuò gratulari mihi pagi incolæ, quòd tale nactus eſſem in tali alumno patrocinium: multi etiam ſalutare me aperto capite, & alloqui cum reverentiâ: alii inter ſe colloqui, & in aurem inſuſurrare alter alteri. Papæ! exclamabat aliquis quàm felix eſt noſter Pædotrophus;

phus : gallinæ albæ filius est. Pol! subjiciebat alius, securè jam dormire potest. Nam magnum in isto puero thesaurum reperit. Hæc ego dissimulanter audiebam; & tacitè gaudebam in sinu. Domum reversus, heus tu, aiebam, Galatea, puerum serva nobis istum diligenter, & nutri sedulò. Illa tibi lac immulgebat continuò, & lactando læta cantitabat. Ipse tibi nunc conciliabam somnos agitando cunas, nunc risum eliciebam palpando, balbutiendo, Lallando, mille modis blandiendo. Ride, inquiebam, blande puer, qui nobis risum facis. Ride. Ridebas, & ipse ridebam quoque.

MIS.

Quod tibi gaudium aliquando obtulerim, gaudeo.

PÆD.

Et gaudium attulisti & lucrum. Nam quia summa fuit patris tui auctoritas, te propter magnâ sum levatus parte annui tributi, quod ex me miserè Agrestes Publicani duriter exigebant. Nunc verò postquam vir clarissimus pater tuus occidit, heu, hoi . . . . *lacrymatur.*

MIS.

Quid evenit?

PÆD.

Postquam occidit . . . heu. hoi! . . non possum eloqui.

MIS.

Iſtis tempera lacrymis, & loquere.

PÆD. *abſtergens lacrymas.*

Poſtquam ille occidit, continuò mihi mala ominari omnes; & multi mala multa interminari. Qui utinam mendaces! ſed nimiùm reperti ſunt veraces. Nam factâ nuper novâ tributorum deſcriptione, ter mihi tantùm impoſuerunt oneris, quantùm priùs ſuſtinebam.

MIS.

Factum improbè.

PÆD.

Et immiſericorditer. Neque enim huic oneri magis ſum ferendo par, quàm cœlo humeris ſuſtinendo.

MIS.

Debuiſti de tantâ improbitate palam & apertè conqueri.

PÆD.

Apertè conqueror quotidiè; ſed fruſtra. Omnes illudunt mihi, etiam qui priùs invidebant; ac me jocis & ſannis proſequentes, ſolves, inquiunt, Pædotrophe, ſolves. Nullus tibi jam patronus. Obiit Philoponus. Dormit Miſoponus: ſolves, ſolves.

MIS.

Næ tu malevolam gentem commemoras & maledicam!

PÆD.

Ita sumus omnes; nam apud nos, ut aiunt, homo homini lupus; vicino quisque invidet suo. Quod nisi te misereat nostri, me brevi cum Galateâ nostrâ mœrore & inopiâ enectum audies.

MIS.

Me profectò miseret vestri; sedenim causâ vestrâ quid possum facere?

PÆD.

Posses omnia, si paternum magistratum susciperes, qui tibi & tuis multùm conciliaret reverentiæ Sed tamen vel sic aliquid potes, si Protesilaum Provinciæ nostræ præpositum, & in hac diversantem urbe adire velis; ipsum alloquêris commodè primo mane.

MIS.

Primo manè, commodè.

PÆD.

Manè inquam primo. Nam est ille vigilantissimus. Surgit diluculo. Ad se venientes audit. Tum egressus domo negotiis provinciæ vacat & suis.

MIS.

Iste Protesilaus tam est meis notus cognatis & affinibus, quàm mihi. Cognatorum aliquem adire potes, qui te commodè manè primo commendet.

PÆD.

Hei mihi! quò me vel ad quos mittis?

MIS.

Ad meos affines & cognatos, quibus tu propter me carus es.

PÆD.

Quibus propter te sum invisus omnibus; qui mihi illud exprobrant, & aiunt de te...

MIS.

Quid aiunt de me?

PÆD.

Quod non ausim referre.

MIS.

Aude, refer.

PÆD.

Aiunt te...

MIS.

Me?

PÆD.

Te matris tuæ filium non esse.

MIS.

Ego matris meæ non sum filius? cujus ergo?

PÆD.

Galateæ nostræ nutricis tuæ, à quâ te dicunt suppositum fraude malâ, & mutatum cum vero matris tuæ filio. Quod certè falsum est. Nam Galatea nostra bona est mulier, simplex, neque fraudulenta.

MIS.

Quorſum id homines impudentiſſimi pronunciant?

PÆD.

Quia te negant matris ſimilem tuæ, quæ mulier fuit ſtrenua, ſolers ac diligens; at hercle neque Galateæ ſimilis es; nam eſt illa ſedula, operoſa, & impigra.

MIS.

Egregia verò argumentatio! Ædepol, ſi pro veris parentum liberis omnes ſuppoſiti ſint à nutricibus filii, qui non ſunt patrum vel matrum ſimiles, magna ſit hodiè ſuppoſitorum natio.

PÆD.

Rectè arguis, neque tu ſemper fuiſti adeò matri abſimilis. Cum te depulſum à lacte Galatea noſtra in parentum reſtituit manus, hic unà adfui cum illâ in iſto cubiculò. Deus bone! qualis tunc eras! ut ſaltitabas! ut tripudiabas! ut nunc in patris, nunc in matris amplexum convolabas; alterius crines, alterius vittas conturbans manibus, geſtiens pueriliter & quietis impatiens. Id culpabant quidem parentes tui, & Galateam noſtram increpabant, quæ iſtos aluiſſet ſpiritus fervidos, neque caſtigaſſet. Te tamen gaudebant eſſe talem, & ab hoc ipſo placebas vitio, quod in pueris egregium aliquid ſolet portendere;

Nam vinum, ut aiunt, quod non effervescit, cum novum est, semper erit sapore languidum. Itaque. . .

MIS.

Itaque fac narrandi finem, si facere potes.

PÆD.

Itaque ego & Galatea dimissi ambo sumus cum bonâ gratiâ, & pecuniâ, & spe bonâ; quam tu mortuis parentibus ne fallas oro te, (*Genu flectit. Misoponus jubet ut surgat.* Per istas, quas tibi toties siccavi lacrymas; per ista, quæ tu mihi sæpe comprehensis auribus dedisti oscula, respice me & pristini amoris aliquid retine.

MIS.

Abi, Pædotrophe. Tributi quod exigitur ex te partem ultro expendam de meo.

PÆD.

Pecuniâ mihi opus quidem est; sed multò magis gratiâ, quæ me in consequentes etiam annos levet onere nimio; & malevolorum frangat invidiam.

MIS.

Ito ad Tisagoram avum meum, qui Protesilao inprimis gratus est, ille te propter me commendabit ultro, neque me, opinor, nepotem suum negaverit.

PÆD.

Illum igitur tuo conveniam nomine; &

quid mihi responsi dederit, mox tibi renunciabo.

MIS.

Renunciato.

SCENA XI.

MISOPONUS.

MIS. *surgens, deambulans vultu tristi & inquieto.*

EGo scilicet pro vero patris filio sum à nutrice suppositus, quia non sum matri similis, atque ideo matri similis non sum, quia nolo me amplâ & ambitiosâ togâ involvere. Istos certè qui tam pulcrè disputant, juverit propiùs inspicere, sintne matrum adeò similes? an non sint quoque suppositi à nutricibus?

SCENA XII.

AMPHITHEORUS, NEOPISTUS, MISOPONUS.

AMPH. *intuens Misoponum.*

VIderis mihi præter morem commotus, Præses noster? quid tibi molestiæ accidit?

NEOP. *Misoponi vultum attentè considerans.*

Iram ſpiras vultu & oculis. Ecquis te læſit?

MIS.

Quia forenſe munus repudio, me cognati & affines inficeti maledico dente carpunt.

AMPH.

Illorum maledicta ſperne, & tuum de Academiâ propoſitum urge. Multa candidatorum reperi genera, quæ noſtram Academiam compleant, hem! aſpice, *oſtendens tabulas.*

MIS.

Video. . . At ſi pergant maledicere inſulſi homines, ſentient me non eum eſſe quem impune mordeant.

NEOP.

Latrant, non mordent. Scripſi modò in Bataviam, ut Academiæ noſtræ inſtitutio in appendicem Gazulæ referatur: ſicque admoneantur, qui admitti volent, & ipſi maturè admoneant.

MIS.

Factum prudenter. . . Putant illi ſcilicet acuti cavillatores me perpetuò dormiturum. At hercle non ita dormio, ut non poſſim evigilare.

AMPH.

Quid de te putent omitte; & animum ad tuam Academiam refer.

MIS.

Refero; & vobiſcum de illâ confero: Sed orationem quam animo deſtinaveram nondum licuit componere.

NEOP.

Compones, cùm licebit per otium.

SCENA XIII.

MOROLOGUS, MISOPONUS, AMPHITHEORUS, NEOPISTUS.

MOR. *hominem in poſtſcenio alloquens.*

SEQUERE igitur: quid hæres? Ingredere, ne pudeat. Accede. Illic Academia noſtra eſt. Quid retrocedis? adeſdum? fugis. Vale igitur. Ha, ha, ha!

MIS.

Quis ille homo eſt, qui toties vocatus refugit?

MOR.

Moriar, ſi hominem novi. Ha, ha, ha! *redit ad Januam quaſi vellet hominem revocare.*

MIS.

Quid ergo jubes ingredi?

MOR.

Quia ingredi dignus eſt. Ha, ha, ha!

MIS.

Si non noſti, quomodò dignum judicas?

MOR.

Ex ipſo vultu primùm; ex ſermone deinde judicavi. Stabat ille in trivio affixa muro legens programmata, & in Comœdiæ titulo hærebat. Hominem circumſpicio. Brevis coma, breve pallium, collare breve; frons nitida, facies rubicunda, juvenile mentum. Statim unum aliquem ſuſpicor, non ex illâ gente, quæ ſe ſacris mancipat literis.

MIS.

Ex illâ gente neminem volumus.

MOR.

Non ex illâ gente, inquam, ſed ex eorum grege, qui (*ibi geminos adhibet vocis ſonos. Verba ſua voce nativâ exprimit: alterius dicta voce acutâ & ſcurrili*) nunc in profanâ, nunc in ſacrâ veſte ſunt, ſemper ut placet, nunquam ut decet. Ad illum accedo. Et manu prenſans: heus tu, vir elegantiſſime, niſi quid tibi eſſet negotii, aliquò te deductum velim; & iis aggregatum viris, qui te ſocio maximè gaudeant. *Mihi verò.* Reſpondit ille, *nihil negotii eſt.* Nihilne omnino? *nihil prorſus.* Non tu das rebus operam Theologicis? *nullam.* Non Philoſophicis? *nunquam.* Non Oratoriis? *neutiquam.* Non ſacro juri diſcendo! *facis injuriam.* At certè aliquo doctrinæ ſtudio mane vel ſe-

tò occupatum esse te credibile est. *Neque manè, neque serò, hoc crede.* Quoniam ita vacas, è nostris eris inquam. *Quibus vestris?* Rogat ille. Scies. Tu modò sequere. Ultro sequitur. Ubi limen tango, præire jubeo, & in Academiam subire. Audito Academiæ nomine subitò expallescit. Non hic Academia eruditorum est. Ne verere. Illic doctrinæ nihil opus est. *Quod igitur Academiæ genus?* Academia otiosorum. Ibi restitit, erubuit, puduit eum se fateri qui est, & fugit. Ha, ha, ha! *iterùm accedit ad ostium quasi Hominem fugientem persecuturus.*

MIS.

Magnam in ejusmodi candidato jacturam facimus.

AMPH.

Jactura facilè sarcienda. Alios diversi generis candidatos vobis plurimos offero. Illos proponam, & quos admittetis, in Codicem Academicum reponam.

NEOP.

Ego in nuncios referam Academicos.

MIS.

Antequam proponas, Amphitheore, sedeamus.

MOR.

Rectè & sapienter monet noster Præses. Nam, ut aiunt, *anima sedens fit sapientior.*

Sedeamus. Tu, Misopone, in solio Academico, tu, Amphiteore, ad mensam Academicam. Tu; Neopiste, ad candelabrum Academicum. Ego in scabello Academico ad januam sedebo. Ha, ha, ha! propone, Amphitheore, propone.

AMPH. *legit codicem.*

10. Spectatores vagi.

MIS.

Quinam illi spectatores?

AMPH.

Qui huc illuc per urbem cursitant, spectandi gratiâ, hoc est ut spectent, vel spectentur.

MIS.

At illi multùm vagando multùm itineris conficiunt.

AMPH.

Sed nihil agunt interim. Sæpe dicunt *hoc vidi*, nunquam dicentes audias, *hoc feci*.

MIS.

Quid censet Neopistus?

NEOP.

Admittantur, quoniam nihil agentes. Spectare non est agere.

MIS.

Quid Morologus?

MOR.

Admittentur spectatores vagi; quoniam sicut ego, otiosè vagantur. Si tamen prius an-

annuerit noster Præses. . . Præses quomodo dicam? non. . . non Præses vigilantissimus.

MIS.

Oh! minimè.

ERG.

Præses. . . Præses tranquillissimus, ha, ha, ha! si prius annuerit tranquillissimus Præses.

MIS.

Annuo.

MOR.

Admittentur spectatores vagi. Spectatum ibunt per urbem huc, isthuc, illuc. Transibunt hac, isthac, illac. Redibunt hinc, isthinc, illinc. Sedebunt vel stabunt hic, isthic, illic; & spectabunt & spectabuntur, & ridebuntur. Ha, ha, ha! Quinam deinde admittendi?

AMPH.

2o. Congerrones sive garruli sedentarii.

MIS.

Quod genus hoc hominum est?

AMPH.

Homines id genus, qui vel suis vel alienis in ædibus, inter otiosos virorum & fœminarum cœtus, maximam diei partem sedendo & garriendo consumunt.

MIS.

Admittantur.

NEOP.

Admittantur illi præter cæteros.

MOR.

Admittantur garruli ſedentarii, & de re quâlibet cum quolibet garrient quidlibet; multa, ſicut ego, deblaterabunt intempeſtivè, ridiculè; & ſicut ego, ridebunt & ridebuntur. Ha, ha, ha! Quinam poſtea?

AMPH.

3°. Salutatores meridiani.

MIS.

Quoſnam appellas ſalutatores meridianos?

AMPH.

Qui meridie, adventante prandio, ſalutatùm veniunt, ut invitentur ad menſam; qui vivunt ex alieno, nihil agunt de ſuo.

MIS.

De iſtis ſalutatoribus meridianis quid cenſet Neopiſtus?

NEOP.

Otioſis adjungendos eſſe cenſeo. Nam illi plerumque prandium expectant otiosè admodùm.

MOR.

At non manducant otiosè, ſed oculis, unguibus, dentibus omnia devorant impigrè. Ideòque ex Academiâ otiosâ ejiciendos eſſe cenſeo.

MIS.

Ejiciantur ergo.

NEOP.

Ejiciantur sanè.

MOR.

Ejicientur procul salutatores meridiani, & aliò mittentur ad salutandum. Quomodo vales? si vales, bene est. Ego quidem valeo. Vale, vale, ha, ha, ha! alios subjice, Amphitheore.

AMPH.

4°. Scriptores male operosi.

MIS.

Qui nempe operosas scribunt nugas?

AMPH.

Omnino.

NEOP.

Qui videlicet opere multo componunt historias fabulosas, Tragœdias ridiculas, Comœdias miseras & miserabiles.

AMPH.

Sic est.

MIS.

Admittantur.

NEOP.

Admittantur. Nam illi malè operando operam perdunt, nihil agunt.

MOR. *simulat se scribere; caput identidem arrigens.*

Admittentur scriptores malè operosi, & scribent tragœdias sine fletu, comœdias sine

risu, satyras sine sale, odas sine spiritu, orationes sine arte, historias sine contextu, libros omnis generis, & nullius pretii, quos nemo legat, vel lector omnis irrideat. Ha, ha; ha! Quinam admittentur præterea?

AMPH.

5o. Lectores erratici.

MIS.

Erratici Lectores? quosnam hac appellatione designas?

AMPH.

Qui lectitando errant per omnes libros, & nullis inhærent.

MIS.

Quid tibi de istis lectoribus erraticis videtur, Neopiste?

NEOP.

Otiosis aggregandos puto. Nam multa promiscuè legendo, & papilionum more, nunc ad hos, nunc ad illos convolando libros, nihil succi trahunt, nihil agunt.

MIS.

Admittantur per me licet.

MOR.

Admittentur lectores erratici; & librorum modò titulum ac præfationem, modò tabulam & indicem cursim inspicient, de singulis pauca legent, pauciora intelligent, paucissima colligent, & tamen de singulis perinde loquentur

loquentur, ac si legerint omnia & intellexerint. In aliis Academiis sibilo exciperentur, in Academiâ nostrâ accipientur cum plausu. *Ridet, cachinnatur, quasi præsentes exploderet.* Pergamus ultra.

AMPH.

60. Literati illiterati.

MIS.

Pugnantia loqueris, Amphitheore, an illiterati possunt esse literati homines?

AMPH.

Convenientia loquor. Nonne illiterati sunt, qui sine literis inter literatos sedent? alienâ scilicet utentes literaturâ, alieno judicio, alienâ memoriâ, alieno calamo.

MIS.

Admittantur isti literati, qui nihil literarum habent. Non repugno.

NEOP.

Admittantur ut fuci inertes, qui alieno labore perfruuntur.

MOR.

Admittentur literati illiterati, & illis non memoriam, non judicium, non calamum, sed linguam, si volent, commodabo; & ipsos, non quia illiterati sunt; sed quia literati videri volunt, ridebo. Ha, ha, ha! An admittendi supersunt aliqui?

A

AMPH.

Plurimi supersunt... 7°. Actuosi cessatores.

MIS.

Atenim non cessat, qui multùm agit.

AMPH.

Qui multùm agendo nihil agit, nonne in cessare dicendus est!

MIS.

Fateor.

AMPH.

Quam multi autem domi forisque multa agendo nihil agunt.

MIS.

Rectè dicis. Admittantur itaque cessatores actuosi.

NEOP.

Admittentur tanquam Ardeliones, qui pennas assiduè movent, nihil promovent.

MOR.

Admittentur actuosi cessatores, dum nihil actione suâ turbent in Academiâ *de gli otiosi*. Nam qui agendo multa nihil agunt, interdum agunt quod non agendum est, & dum agunt nihil, agunt aliquid. An intelligitis quod dico? ego quidem intelligo, nec intelligo, ha, ha, ha!



SCENA XIV.

DÆDALOCHIRUS, MOROLOGUS, MISOPONUS, AMPHITHEORUS, NEOPISTUS.

MOR.

SEDENIM adventat aliquis in Academiam nostram forte admittendus.

DÆD.

Quæso vos, an isthic nova instituitur Academia, de quâ modò apud vicinum Cassæopolam verba fecisse dicitur Morologus nescio quis.

MOR.

Morologus nescio quis? nescis quis sit Morologus. Dabo operam ut scias. Vide me. Ego sum ipse Morologus Academiæ novæ janitor. Quid tu autem de Academiâ nostrâ quæris?

DÆD.

Ego Dædalochirus in rebus Mathematicis & Mechanicis versatissimus. Qui....

MOR.

Omitte tuas laudes, Dædalochire, & veni ad rem, quâ lineâ poteris brevissimâ.

DÆD.

Ad rem venio, & quæro, velitisne defer-

ri ad vos machinam per me arte mirâ, quamvis simplici artificio, elaboratam.

M o r.

Quænam illa machina ?

D æ d.

Suscitabulum matutinum, quod motu suo, & tinnitu acutissimo, homines quamlibet altùm dormientes è somno excitet.

M o r. *ad Dædalochirum.*

Interrogandi sunt viri Academici. *Ad Academicos.* Placetne vobis, Academici viri, suscitabulum matutinum, quod motu suo, & tinnitu acutissimo homines quamlibet altùm dormientes à somno excitet.

M i s.

Non placet.

A m p h.

Non placet.

N e o p.

Non placet.

M i s.

Deferatur illud ad Critobulum, qui forensi munere brevi ornandus & onerandus est, & suscitabulo matutino forsitan indigebit.

M o r. *ad Dædalochirum voce imperiosâ & malignâ.*

Non placet nostris Academicis tuum illud suscitabulum matutinum, Dædalochire, in rebus mechanicis versatissime. Jubet tranquil-

lissimus Præses illud deferri ad Critobulum: qui forensi munere brevi ornandus & onerandus est, & suscitabulo matutino forsitan indigebit.

DÆD.

Tractatum scripsi accuratissimum de motu perpetuo; si vultis, prælegam in Academiâ vestrâ.

MOR.

Vultis viri Academici prælegi vobis tractatum accuratissimum de motu perpetuo?

MIS.

Nolo.

AMPH.

Nolo.

NEOP.

Nolo.

MIS.

Tractatus ille prælegatur Timandro tutori meo, qui perpetuò movet se, nunquam quiescit.

MOR.

Nolunt viri Academici prælegi sibi tractatum de motu perpetuo. Illum tranquillissimus Præses mandat prælegi Timandro, qui perpetuò movet se, nunquam quiescit.

DÆD.

Nihil igitur mihi cum Academiâ vestrâ rei esse potest?

MOR.

Nihil. Tu quæris motum perpetuum, non quietem perpetuam; itaque amove te à nobis citò & motu perpetuo, *Mathematicum abeuntem circumagit in gyrum. Redit ad sellam cantitando.* Atenim quid audio? la, la, la, la, appropinquat Philomelus aliquid cantionis meditans. An admittetur?

MIS.

Admittetur, si dignus esse judicabitur. Succedat & interrogetur.

SCENA XV.

PHILOMELUS, AMPHITHEORUS, MISOPONUS, MOROLOGUS, NEOPISTUS.

PHIL.

AN licet vobis per otium geminam audire cantilenam quam scripsi dum abundarem otio.

MIS.

Licet, Philomele, dum cantilenæ istæ otiosum aliquid spirent & sonent.

PHIL.

Illis duabus cantilenis nihil otiosum magis. Altera spirat otium pastorale, & regni

pastoralis tranquillitatem celebrat, altera juventutis delirium leviter perstringit & breviter. Audite, la, la, la, la.

Aimable musette,
Confidente de mon cœur,
Chantez mon bonheur;
J'ai pour sceptre une houlette;
Pour peuple un tendre troupeau;
Pour sentinelle
Un chien fidéle,
Pour Etats les bords d'un ruisseau.
Je régne sans diadême,
Sur mes moutons, sur moi-même;
Votre sort est-il plus doux,
Puissans Rois du monde?
Régnez sur la terre & sur l'onde,
Mon cœur n'en sera point jaloux;
Je suis plus heureux que vous.

Hæc cantilena prima est ex duabus quas excogitavi hodiè. Alteram nunc auscultate.

La tendre jeunesse
Folatre sans cesse,
La tendre jeunesse
Brave la raison:
Envain la vieillesse
Lui fait la leçon:

Chanson, chanson.
La tendre jeunesse
Folatre sans cesse,
La tendre jeunesse
Brave la raison,
Elle dit que la sagesse
N'est point encor de saison
La tendre jeunesse, &c.

PHIL.

Quis vester sensus, quæ sententia?

MIS.

Ante colligenda sunt suffragia quàm feramus sententiam.

PHIL.

Quid ais?

MIS. *recedit cum Academicis in angulum.* Vos accedite.

PHIL.

Quid agitis?

MIS.

Scies modò. *Ad Academicos.* Quid censetis? an admittendus est Philomelus in Academiam *de gli otiosi.*

AMPH.

Videndum quid agat, aut velit agere.

MIS. *ad Philomelum.*

Ex te, Philomele, pauca liceat quærere. Studesne multùm rebus musicis?

PHIL.

PHIL.

In his habito, & vivo, *la*, *la*, *la*.

MIS.

Nihilne aliud agis?

PHIL.

Id unum ago, id unum cogito, *la*, *la*, *la*.

MIS.

Non tu fratris natu majoris ſecuturus es veſtigia, qui alia ex aliis munera in urbe, in aulâ conſecutus eſt.

PHIL.

Malo numeros ſequi muſicos, & alios ex aliis conſequi, la, la, la.

MIS.

Quæ veſtra ſententia eſt?

AMPH.

Admittatur.

NEOP.

Admittatur.

MOR. *cantando fert ſententiam.*

Admitta, a, a, atur.

MIS.

Omnia tuliſti ſuffragia, Philomele. In illam quam inſtituimus Otioſorum Academiam admitteris, ſi lubet.

PHIL.

At potiùs in Academiam Muſicorum.

MIS.

Utrum in Otioſorum, utrum in Muſicorum

Academiam admittaris perinde eſt. Nam præter paucos inſigniores Muſicos, gens ferme tota otioſa eſt.

PHIL.

Admittar igitur volens.

MIS.

Surgamus. De candidatis in Academiam admittendis ſatis deliberatum eſt. Serò poſt cœnam unum è candidatis aliquem rite admittemus.

MOR.

Ipſum te, Miſopone, ſi voles, admittemus rite & ridiculè. Ha, he, he.

MIS.

Rite admittar volens. Quod ut decentiùs fiat, huic ornando cubiculo ſupellectilem academicam providebo.

MOR.

Orationem quoque non memoriter, ſed de ſcripto recitabis academicam, id eſt otioſam. Ha, ha, ha.

MIS.

Orationem de ſcripto recitabo. Tuum eſt, Amphitheore, leges academicas ſcribere.

AMPH.

Scribentur.

MIS.

Tuum erit, Neopiſte, libros nobis idoneos quærere.

NEOP.

Quærentur.

PHIL.

Ego verò quid?

MIS.

Tuum esto præcipua Academicorum Otiosorum genera versiculis modulatis comprehendere & canere.

PHIL.

Comprehendam & canam.

MIS.

Aderis, & Philomelo canente consonabis.

MOR.

Nihilne ad ornatum Academiæ conferet Morologus.


MIS.

Illam satis ornas tuâ præsentiâ; itaque affer te ipsum; hoc satis.

MOR.

Afferam me ipsum cum me ipso. Ha, ha, ha! & togas Academicas hoc est cubiculares cum pileis Academicis, hoc est cubicularibus vobis providebo. Ho, ho, ho, ô Academia lepida & faceta! ha, ha, ha.





ACTUS III.

SCENA PRIMA.

MISOPONUS, SCENOGRAPHUS, HYDROTHERMUS, CHARTOPHOR.

Mis. *prægrandem chartam ferens in quâ Titulus Academiæ inſcribendus.*

AN illic adſunt omnes Academiæ novæ inſtructores; quos advocari juſſi modò.

SCEN.

Adſum.

HYD.

Adſum.

CHART.

Adſum.

MIS.

Quin acceditis propiùs? an vos adire meum eſt?

SCEN.

Prohibiti ſumus accedere propiùs, ne tibi turbaremus otium; & juſſi fuimus in atrio conſiſtere.

M i's.

Accedite. Quid tibi artificii est? tu pictor, nonne.

S c e n.

Ego Pictor Scenographus in Italiâ diu peregrinatus.

M i s.

Tu nondum in Academiam Pictorum admissus es.

S c e n.

Nondum quidem.

M i s.

At ego te faciam pictorem Academicum. Hunc mihi Academiæ nostræ titulum pinge majoribus literis.

S c e n.

Titulus iste ornandus erit lauro vel palmis, nonne?

M i s.

Neque palmis, neque lauro; sed papaveribus ipsum coronabis. Sic pinges, & illic appendes.

S c e n.

Pingam & appendam.

M i s.

Sed citò. Ne per me iterum admonendus sis, quod mihi fuerit grave.

S c e n.

Quod petis, cito citiùs habebis.

HYD.

Ego Hydrothermus Caffæopôla apud Turcas Parifienfes educatus, & ab iis ad potionum calidarum confectionem eruditus.

MIS.

Novi te, Hydrotherme, & tuas ædes fcio viris ingeniofis, eruditis & elegantibus hofpitales. Tu fies, Academiæ noftræ Caffæopôla, huc Caffæum, & alias id genus potiones, cum fupellectili cauponiâ transferes.

HYD.

Transferam.

MIS.

Sed abfque morâ; ne denuò accerfendus fis, quod non fiat fine meâ moleftiâ.

HYDR.

Tarditatem non argues.

CHART.

Ego Chartophorus Academiæ aleatoriæ fervus, neque rapax, neque dolofus.

MIS.

Magna prædicas. Ego te faciam Academiæ otiofæ miniftrum. Menfam aleatoriam fuis armis inftructam omnibus huc ad me traduces.

CHART.

Traducam.

MIS.

Sed quamprimùm. Ne verba tecum facien-

di eâ de re mihi rursus incumbat labor.

CHART.

Celeritatem laudabis.

MIS.

Ahy! quàm multa Academiæ nostræ sunt providenda. Metuo, hercle, ne Academia otiosa mihi fiat brevi negotiosa.

SCENA II.

CRITOBULUS, MISOPONUS.

CRIT.

TUâ fretus benevolentiâ & commendatione, amice, omnibus tui muneris competitoribus aditum præclusi; illud jam in potestate meâ est.

MIS.

Gaudeo, bene utere.

CRIT.

Ut bene utar; alterum à te beneficium impetrare velim.

MIS.

Impetratum puta. Quid petis?

CRIT.

Peto & oro, ut hoc ipsum munus, quod accepi à te, recipias & serves.

MIS.

Quod accepisti, hoc reddere te, vel recipere me, est nefas.

CRIT.

Fas me hoc reddere, quod ideò tantùm accepi, ne quis alter occuparet: fas te illud recipere, quod nunquam debuisti alienare, & servare perpetuò debes.

MIS.

Id servare non debeo, quod sustinere non possum.

CRIT.

Non potes? inquis. Tu non poteris, quod ego me posse confido. Nam quod nescis, de alio forensi munere egi ac prope transegi; sed de me silebo. Non tu potes, quod potuerunt, & possunt tot è tuis condiscipulis, quos omni facultate vincis?

MIS.

Possim fortasse quidem, sed cum magno labore & majore molestiâ. Neque verò tecum fingam aut dissimulabo. Dignitatem senatoriam non despicio; imo plurimi facio; sed me terrent onerosa Senatoris officia; nam si honorem suscipiam, velim & onus sustinere.

CRIT.

Credo equidem, & egregiè sustineres.

MIS.

Terret me inprimis numerosa illa, & im-

portuna clientium turba, quæ omnia judicis tempora aucupatur, & occupat.

CRIT.

Te terret supplex hominum turba, quibus; quot das momenta, tot confers beneficia. Nec te terret otiosa hominum natio, quibus tempora das vitæ pretiosissima, omnino gratis & sine ullâ eorum gratiâ.

MIS.

Si magistratum ineam jam me omni oblectatione animi, & vitæ jucunditate prorsus exclusum putem.

CRIT.

Ergo miserorum querelas compescere, innocentium fortunas protegere, diffidentum animos reconciliare, familias ruinâ prohibere, jus cuique suum tribuere, nihil jucunditatis habet & oblectationis?

MIS.

Habet fortasse multùm; sed alio quopiam oblectamenti genere indiget animus, quod in vitâ forensi laboriosâ & austerâ reperiri posse diffido.

CRIT.

Malè diffidis, amice, non adeò tetrica Themis est, ut non explicet frontem aliquando. Neque adeo perpetuus est forensis labor, ut non dispungatur intervallis, brevibus illis quidem, sed tantò jucundioribus, quantò

brevioribus. Quoniam ut fame cibus, ita conditur labore quies.

M I S.

Malum vitæ condimentum longus labor.

C R I T.

Imo condimentum vitæ pessimum longa quies. Quod ne temerè affirmari credas. Cogita quæso quid fiat, cùm inter nos convenimus aliquando, ego post navatam studiis forensibus aut civilibus officiis operam, tu post longam cessationem, aut dormitionem prolixam. Ambo versamur in eodem genere oblectationum, sed modo quàm diverso! Tu me, quicquid jucunditatis offertur, vides arripere cupidè. Te contra illud fastidire video, & otioso dente vix tangere. Tibi friget risus, torpet animus, lætitiam male simulas, nec benè dissimulas oscitationem. In ipso, ita me Deus amet, videris laborare otio, & te tui pœnitere.

M I S. *à parte.*

Reipsâ pœnitet aliquando, *ad Crit.* putas ergo illum minùs laborare, qui magis laboret.

C R I T.

Omninò. Sic fert natura, ut qui laborem fugit, tædium inveniat; & qui laborem sequitur inveniat suavitatem. Si dubitas, experire.

SCENA III.

CLEOGENES, MISOPONUS, CRITOBULUS.

CLEOG.

QUID tibi quantumque debeam, cognatorum beneficentiſſime, juvat coram Critobulo profiteri.

MIS.

Iſtud qualecunque eſt, omitte commemorare, Cleogenes.

CLEOG.

Omittam, Miſopone; non ego commemorem, non prædicam te ſæpius rogatum ut mihi cognato, de te tuiſque bene merito, opem ferres, & me judicibus de lite meâ cognoſcentibus voce aut ſcripto commendares, non ad illos adiviſſe, non miſiſſe, ac ne ad eorum quidem literas, quibus te de conſanguinitate noſtrâ interrogarent, unum verbum reſcripſiſſe, hoc taceri velis?

CRIT. *ad Miſoponum.*

Itane factum, Miſopone?

MIS.

At commendavi te hodie Themiſto, & impensè quidem ac ſtudiosè,

CLEOG.

Commendasti voce servi ; & alieni quidem. . . Vale, Misopone. Litem hodie perdidi, quæ me prope perdit ; at lucrum aliquod feci tamen. Ego te tandem novi. Si quid meâ vel meorum operâ aliquando indigebis, ipse me faciam pariter noveris.

SCENA IV.

MISOPONUS, CRITOBULUS.

CRIT.

HEu ! quas in te, amice, querelas tua excitat negligentia ! quos à te distrahit amicos ! quibus te spoliat præsidiis !

MIS.

Cleogenem lite cecidisse doleo ; sed enim meam hominibus opportunè, importunè flagitantibus operam an dare debeo ?

CRIT.

Ita res exigit. Alii aliorum operâ indigemus omnes. Nemo unus sufficit ipse sibi, & nisi nos sustentemus invicem, alii post alios aut unà corruemus.



SCENA V.

ERGASTUS, MISOPONUS, CRITOBULUS.

Erg. *vultu anxio ingrediens heri sui Tabacothecam in mensâ reponit.*

En tibi tuam restituo Tabacothecam. Qui tibi conficiat desidiæ laudationem, & te tuis ornet laudibus reperio neminem: qui me teque onerent contumeliis, invenio plurimos. Morologus ille tuus huc illuc cursitat inclamans te forensem togam respicere, tibi cubicularibus togis opus esse; hinc multi urgere me salsis & insulsis interrogationibus. *An brevi Misoponum forensi togâ ornatum videbimus? Quandonam lites nostras dijudicabit Misoponus? Quâ horâ clientibus ad Misoponum adire dabitur? Non tu nos Misopono commendabis, Ergaste?* Isthæc opprobria ferre potes; ego minimè. Alium itaque à me si lubet, tibi servum quæres. Nunc tandem famæ volo consultum meæ.

Crit.

Abscede & quiesce, tuæ consuletur famæ, uti decet.

SCENA VI.

MISOPONUS, CRITOBULUS.

CRIT.

SENTIO te, amice, commoveri animo & iram vix continere. Inepta refert ille quidem & ineptè. Sed vera & justa. Non te aliquando pudebit (utar enim tecum jure amicitiæ) non te pudebit tali loco natum, in tali educatum familiâ, tali adjutum fortunâ, tali præditum ingenio, in tali otio delitescere. Non tu maledicentium ora comprimes? non cognatis, non amicis, non mihi illud annues, quod à te per memoriam clarissimi viri parentis tui, per tuam famam, per nostram amicitiam peto. . . Non mihi respondes? . . . non me respicis?

MIS.

Amice, quid petis?

CRIT.

Ut magistratum spondeas initurum esse te quamprimùm, id postulo, & obsecro.

MIS.

Reputa, quæso, quid postules?

CRIT.

Hoc reputavi, & reputo.

MIS.

Si ſpondeo, ſtandum erit promiſſis.

CRIT.

Et ſtabis, hoc ſcio; ideoque ut ſpondeas, exigo.

MIS.

Exigis?

CRIT.

Exigo, & impero.

MIS.

At certè concede aliquod deliberandi ſpatium.

CRIT.

Nihil concedo.

MIS.

Diem unum permitte ſaltem.

CRIT.

Ne unam quidem horam permitto; novi te & deſidia quid ſit novi. Fovetur illa cunctationibus; & quod diſtulit ſemel cum facere potuit, nunquam facit. Itaque... quo fugis?

MIS.

Sine me, & patere.

CRIT.

Non patiar, non ſinam, ſpondeas oportet.

MIS.

Vis certè quidem hæc eſt.

CRIT.

Sed amica.

MIS.

Succedit huc aliquis. Nunc me tandem omitte.

CRIT.

Nunquam hodie effugies; ego te ſequar uſque, & conſequar.

SCENA VII.

TIMANDER, CRITOBULUS.

TIM.

SCIT Miſoponus, quid interminetur avus ejus Tiſagoras? proviſurum ſe nempe ſedulò, dum vivit, ne bonorum ſuorum maxima pars ad nepotem otioſum ſe mortuo perveniat.

CRIT.

Hoc illum neſcire arbitror, ſed per te reſciat oportet. Ades, Timander, & Miſoponum, qui jam pendet animi dubius, titubat, vacillat, urgeamus; & metu, ignominiâ, prece, omni ratione, eò impellamus, unde pedem referre nequeat.

TIM.

Illud ſperas ad ſuſcipiendum laborem & magiſtratum inclinari poſſe aliquando?

CRIT.

CRIT.

Spero certè & bene confido. Qui naturâ piger est, huic frustra stimulos admoveris, qui solo errore vel malo consilio in otium prolapsus est, istum quandoque ad officium & laborem reduxeris. Age itaque, quod inchoavi modo, tu mecum deinde perfice. Praei. Sequor.

SCENA VIII.

MOROLOGUS, CRITOBULUS.

MOR.

HEus, Critobule, non potes nobis togam commodare cubilarem?

CRIT.

Pileum nocturnum commodabo, si vis.

MOR.

Affer. Ha, ha, ha



SCENA IX.

SCENOGRAPHUS, MOROLOGUS, AMPHITEORUS.

MOR. *ad Pictorem.*

QUID tu hominis es? quid tibi vel nobis cum istâ ampliore chartâ?

SCEN. *Titulum appendit.*

Titulum affero quem Misoponus me jussit pingere & illic appendere.

MOR. *Titulum legit.*

Academia de gli otiosi. Bene; sed enim titulus iste annon debuit appendi foris?

SCEN. *Chartam inspiciens ut judicet an decenter pendeat.*

Ihtus appendi voluit Misoponus.

AMPH. *chartam etiam considerans.*

Intus appendi decet. Cæteræ Academiæ titulum habent appositum extrinsecus, quia sibi nomen quærunt foris. Nobis, qui spernimus famam & nostrâ nos virtute involvimus, satis est titulum habere domi.

MOR.

Rectè dicis, & sapienter desipis. Ha, ha, ha!

AMPH. *prospiciens Avum Misoponi cùm Pædotropho accedentem.*

Hem, Morologe, ostium serva si potes; advenit nobis Præsidis nostri avus Tisagoras cum homine rustico.

MOR.

An admittemus?

AMPH.

Alter reverentiæ causâ, alter joci gratiâ admitti potest, mox dimitti, ne senex ille tetricus Academiæ nostræ otium suis abrumpat clamoribus, & querelis.

SCENA X.

TISAGORAS, PÆDOTROPHUS, MOROLOGUS, AMPHITHEORUS.

TIS.

AHY! sustine me Pædotrophe. Ahy!

MOR. *à parte senis gravitatem jocando imitans.* Ahy!

PÆD.

Resume spiritus, & procede lentè.

MOR. *à parte. In hac Scena Morologus Rustici Pædotrophi motus omnes, gestus & dicta modo imitando, modo irridendo explodit.* Lentè.

TIS.

O ubi tempus cum istos gradus scanderem alacri pede, ut filii optimi conspectu & alloquio fruerer. Ah!

MOR. *à parte senem irridens.*

Ah!

PÆD.

Ha! omnia bona aufert ingravescens *ætas*, & multas secum malas importat ægritudines.

AMPH.

Misoponum quæris, opinor, vir optime, & nos illum quærimus. Sed abest. In procurandis rebus magni momenti totus est.

TIS.

Vos illum expectatis, credo; & illum ego pariter expectabo. Illic adsta mihi ad januam, Pædotrophe, ut nepotis reditum observes. O nepos! nepos!

AMPH.

Est profectò quod tibi talem gratulemur nepotem, qui te planè dignus est.

TIS.

Omnino dignus.

PÆD.

O alumne! alumne!

MOR.

Tu Misoponi nutritius nempe?

PÆD.

Sic aiunt.

MOR.

Illum ædepol nutrivisti probè, est ille pinguis ac nitidus. *Palpans Pædotrophum, qui pinguis ipse & nitidus supponitur.*

PÆD.

Sic esse gaudeo.

TIS.

Sic juvenem à paternâ virtute deficere! sic munus sibi à patre relictum alienare! ô nepos! nepos!

AMPH.

Alienet. Quid tum? si alium gesturus est magistratum, non venalem pecuniâ, quod indecorum est, sed meritis parabilem, quod decorum.

TIS.

Quid ais?

PÆD.

Quid loquitur?

AMPH.

Quod est. Tu Senatorem volebas, nonne?

TIS.

Volebam maximè.

AMPH.

Præsidem habebis.

TIS.

Præsidem, inquis?

PÆD.

Papæ! Præsidem!

TIS.

Abstine, Pædotrophe. Titulum istum ibi tamdiu prostare volo, dum adsit nepos scelestissimus, & declaret mihi, quod hic genus Academiæ, quibusve legibus velit instituere.

AMPH.

Declarabo ego, qui leges scripsi de mandato tranquillissimi nostri Præsidis. Audi me.

PÆD.

Audiamus.

MOR. *ad rusticum hianti ore adstantem.*

Os occlude & aures aperi.

PÆD.

Tu linguam cohibe.

AMPH. *legit.*

Leges in tranquillissimâ otiosorum Academiâ per otium observandæ.

TIS.

O stultitia! ô insania!

AMPH.

Prima lex. *Academici nostri nullum in Republicâ munus gerunto.*

MOR.

Sapienter.

PÆD.

Stolidè.

TIS.

Ergo nullum vos in totâ vitâ munus suscipietis?

AMPH.

AMPH.

Nullum, nisi forte honoris causâ.

TIS.

Quam igitur vitam vivetis?

AMPH.

Vitam nobilem?

TIS.

Nobilem dum nihil agetis?

AMPH.

Prorsus. Qui nihil agit, nonne is vitam dicitur nobilem vivere.

PÆD.

Et hoc malè dicitur.

MOR.

Sic bene dicitur, & bene vivitur. Perge, Amphitheore.

AMPH.

Secunda lex. *Omnis Academicus ita vivito, quasi sibi sit natus unicè. Nullam alieni negotii curam recipito.*

TIS.

Nullam!

AMPH.

Nullam planè, nisi oblectationis causâ.

PÆD.

Ita vivito . . . quasi. . .

MOR.

Quid ais, nutritie noster? quid mussitas?

PÆD.

Aio legem quâ ſancitis, ut quiſque *ita vivat, quaſi ſibi ſit natus unicè*, iniquam eſſe, & ab omni humanitate alienam.

MOR.

Ais?

PÆD.

Aio, & affirmo.

MOR.

Affirmas?

PÆD.

Certè, & certiſſimè.

MOR.

Placet iſta affirmandi ratio fiduciæ plena, ac prope Philoſophica. Sed affirmare haud ſatis eſt; probandum eſt. Proba.

PÆD.

Res probatu facilis. Annon homines debent ſe juvare mutuò, quomodo membra corporis ſe juvant invicem. . . quomodo oculi regunt pedes . . . quomodo pedes ferunt corpus . . . quomodo manus inſerviunt ori . . . quomodo os inſervit ſtomacho . . . quomodo. . . .

MOR.

Quomodo? . . .

PÆD.

Quomodo dico.

MOR.

Bellè dicis & eruditè; sed nihil probas.

PÆD.

Nihil probo? quare?

MOR.

Quia . . . quia omne argumentum *quod non est in formâ* nihil probat; atqui . . . ergo . . . responde *in formâ.*

PÆD.

Quam tu formam petis?

MOR.

Baraba, biribi, barbara, ut volueris.

PÆD.

Barbarè loqueris. Non intelligo.

TIS.

Quid isti respondes cavillatori? non sentis ipsum illudere tibi, & bonis artibus, quae ignorat?

PÆD.

Pol si mihi illudit, ipsum irrideo. Hon!

MOR. *pleno gutture vociferans.*

In formâ, in formâ, in formâ.

PÆD. *eâdem atque etiam altiori voce respondens.*

In formâ, in formâ, in formâ.

MOR.

Ha, ha, ha!

PÆD.

Oh! si res clamoribus agitur, possum & ego clamare: in formâ . . .

MOR. *humeros rustici non sine irrisu palpans.*

Abi, bene probasti, nam bene clamasti : Ha, ha, ha!

TIS.

Ubinam igitur nepos? annon brevi se dabit conspicuum mihi?

AMPH.

Illum, si rectè auguror, alibi detinet res magni momenti; non habebis tam citò reducem; itaque suadeo ut... *digito ostium commonstrans.*

TIS.

Itaque donec redeat, pedem non movebo.

AMPH.

Pergam igitur legere, ut æquiore animo expectes. Tertia lex. *Ne tædium obrepat in otio, suum Academico cuique licitum esto negotium habere otiosum.*

TIS. *suspirans.*

Heu me!

AMPH.

Suspiras?

PÆD.

Ha, ha, he!

MOR.

Rides?

PÆD.

Res enimverò ridicula *negotium otiosum*, Ha, ha, quod genus hoc negotii est?

MOR.

Reſpice me. Nam meum eſt reſpondere tibi. Reſpice, inquam, quid quæris?

PÆD.

Quæro quid ſit negotium otioſum.

MOR.

Negotium eſt, quod . . . quod nihil habet negotii.

PÆD.

Negotium ejuſmodi videre velim otioſum.

MOR.

En affertur tibi; vide.

SCENA XI.

HYDROTHERMUS, TISAGORAS, AMPHITHEORUS, MOROLOGUS.

PÆD. *Caffæum arabicum, & ſinicam Theam intuens.*

QUODNAM iſtud fabarum genus?

HYD.

Caffæum Arabicum.

PÆD.

Quænam hæc herba?

HYD.

Thea ſinica. . .

PÆD.

Quid isthæc vascula?

HYD.

Cauponia supellex.

PÆD.

Ubinam lagenæ?

MOR.

Sapienter interrogat.

TIS.

O superi, ô flagitia!

AMPH.

Quæ tu flagitia appellas! tune usum improbas potionum id genus salubriorum?

TIS.

Oh! neutiquam. Illarum salubritatem quis improbare audeat?

AMPH.

Non sunt illæ quidem febrifugæ, ut liquores quidam, sed *tædifugæ*. Tædium fugant, & nimias oris coercent oscitationes. *Morologus, arrepto vasculo, simulat se Caffæum Rustico porrigere.* Dum enim potio ejusmodi rite paratur: dum coquitur; dum defervescit; dum infunditur in pateras; dum saccharo benignè conditur; dum cochleari versatur eleganter; dum labris deguftatur blandè susurrantibus; dum lentè sorbillatur, interea fluit tempus, sine tædio. Interim ex ipso quasi fundo paterarum ebulliunt joci omnis generis & sermones omnis generis festiviores.

TIS.

Joci herclè omnis generis, & omnis generis ſermones, in quibus non alienæ famæ, non dignitati, non poteſtati ſummæ, non Religioni, non ipſi quandoque Deo parcitur.

MOR. *Ad Ruſticum.*

Hem apud Caffæopôlas, opinor, diverſatus eſt.

AMPH.

Quæ dicis, clariſſime vir, non ea, credo, nobis dicta velis.

TIS.

Quæ dico, nemini dico & omnibus dico; quicumque tandem illi ſunt veſtri aquæ calidæ potores, quibus ex ipſo quaſi fundo paterarum ſtolida, maledica & impia ebullit ſapientia.

PÆD.

Præſtat ſanè vinum bibere, in quo bibendo maledicimus nemini, Deo & Regi benedicimus.

MOR.

He! ſapit tibi palatum, præſtat hercle vinum bibere; ſed in Academiâ noſtrâ utrumque admittitur. Utrumque bibemus cum alumno tuo; alterum properè, alterum otiosè.

SCENA XII.

CHARTOPHORUS, TISAGORAS, PÆDOTROPHUS, AMPHITHEORUS, MOROLOGUS.

TIS.

QUÆNAM huc menſa profertur altera?

CHART.

Chartas & teſſeras vobis affero.

TIS.

Hei mihi! quid video?

AMPH.

Arma vides innoxia, & exercitationi otioſæ idonea.

PÆD. *ad Chartophorum.*

Iſthæc omnia foras ocyùs. Foras, inquam.

CHART.

Cuinam dicis?

PÆD.

Tibi verò, qui damnoſa iſthæc nugamenta huc intuliſti.

CHART.

At juſſit Miſoponus afferri.

PÆD.

At referri jubeo.

CHART.

Jubes? quis tu homo qui imperare audeas?

PÆD.

Ego, qui possum verberare.

MOR. *mensam amovet ut sit locus amplior utrique inter se contendenti.*

Egregia prolusio. Expectate dum istam supellectilem removeo, & liberum vobis campum aperio. Pugnate modò uterque strenuè.

PÆD.

Quid me respicis? quid grunnis? vis tibi fuste demulceam humeros?

MOR. *ad Rusticum.*

Age, vult.

CHART.

Si tu alio sis loco. Faciam ut cives revereri discas, homo rustice.

MOR. *ad Carthophorum.*

Locum ne respice.

PÆD.

Faciam ego ut ne arma noxia huc inferas.

MOR. *ad Rusticum.*

Fac citò.

CHART.

Si me vel uno attingas digito, feres infortunium.

MOR. *ad Carthophorum.*

Tu tange prior.

PÆD.

Liceat mihi, Tiſagora, verba hominis verberibus caſtigare.

MOR. *ad Ruſticum.*

Tibi licet.

TIS.

Redi ad me, Pædotrophe; non tam peccat iſte, qui obtemperat, quam peccavit ille qui imperavit.

MOR. *à parte.*

Væ tibi! qui tam lepidam nobis invides concertationem Academicam.

CHART. *egrediens.*

Vah! ſi te foris invenero.

PÆD. *paratus Carthophorum inſequi.*

Quid minaris? vin' tu?

TIS.

Nemone igitur mihi aderit, qui de nepote nunciet ubi ſit? Ergaſtum quære ocyùs, Pædotrophe, & huc ſiſte.

MOR.

Redde te nobis quamprimum,nutritie noſter. Nam amo te plurimùm. *Ruſticum amplectitur.*



SCENA XIII.

TISAGORAS, AMPHITHEORUS, MOROLOGUS.

TIS.

O TEMPORA! ô mores!

AMPH.

Nihil est, quod mores nostros arguas, vel tempora incuses. Non tu lusisti aliquando, cùm esses junior?

TIS.

Lusi certè, & hæc ab optimo parente dabatur venia, qui post cœnam, circumsidente mensam familiâ, ludum proponebat identidem.

MOR.

Ludum anserinum nempe!

TIS.

Istum plerumque.

MOR.

E Græcis renovatum?

TIS.

Sic ferunt.

MOR.

Ha, ha, ha! ludum Anserinum, è Græcis renovatum.

TIS.

Mavis ludum *à Pharaone* dictum ſcilicet. At nihil, opinor, refert admodum, quod ſit ludo nomen, quæ origo, dum ipſe ſit animis à labore recreandis idoneus.

AMPH.

Rectè opinaris. At ludebas tamen, & annuente patre.

TIS.

Annuebat certè pater, & diſtributâ in filios & filias pecuniâ ludo præſidebat. Jaciebatur coram eo teſſera ab unoquoque noſtrûm, ordine cujuſque ſuo. Si quis ex talorum caſu in cauponàm forte vel puteum incidiſſet, ridebatur ille ſed, ſine contumeliâ. Ipſe pater ad jactum reſpiciendo admonebat interdum, per jocum, ut ſe dabat occaſio. Heus tu, puer, inquiebat, ſæpius ad cauponam redis; vide ne illic hæreas, & rem decoquas familiarem. Eho tu, puella, dicebat, expedi te ocyus ex labyrintho; & cave in alterum te conjicias magis inextricabilem. Sic ludebatur ſine tædio, ſine damno, & unuſquiſque ſubinde cum bonâ pace dimittebatur.

MOR. *à parte.*

Ludus Anſerinus. Ha, ha, ha!

AMPH.

Sic & nos cum nepote tuò ludemus, otiosè & cum bonâ pace.

TIS.

Et ſine fine.

MOR. *à parte.*

E Græcis renovatus. Ha, ha, ha!

SCENA XIV.

NEOPISTUS, TISAGORAS, AMPHITHEORUS, MOROLOGUS.

NEOP. *ad Bibliopolam libros afferentem nugatorios.*

ISTOS mihi libros illic depone, & abi.

TIS.

Quodnam hic deponitur librorum genus?

NEOP.

Hic libros habes Academicos, vir clariſſime, quos ex Miſoponi ſententiâ elegi, & huc per otium legendos tranſtuli.

AMPH.

Nepotem tuum vides, optime vir, nunc quoque literis deditum. Lege nobis aliquot titulos, Neopiſte, ut de iis ſapientiſſimi viri judicium expoſcamus.

NEOP. *legit.*

ORBIS QUIESCENS. Novum ſyſtema philoſophicum: in quo primùm quies corporum, deinde animæ tranquillitas adſtruitur,

AMPH.

Bene.

TIS.

O ignavia!

MOR.

Novum ſyſtema philoſophicum! Iſtud ſyſtema Ptolemaïco, Copernicano, Neutoniano ſyſtemate meliùs eſt. Immò conciliat omnes pugnantium inter ſe philoſophorum ſententias. Ubique quies, ubique otium, ubique profectò vacuum, ſed vacuum ſuavitate plenum. Ha, ha, ha!

NEOP.

LABOR OTIOSUS ſive OTIUM LABORIOSUM.

AMPH.

Ingenioſè.

TIS.

O nugæ!

MOR.

Labor Otioſus, Otium laborioſum. Facetus liber! multa docendo docet nihil. Opus verè illis utile, qui multa agendo nihil agunt. Ha, ha, ha!

NEOP.

ASINII GALLI DE CONTEMPTU LITERARUM.

AMPH.

Eruditè.

TIS.

O pudor!

MOR.

Asinii Galli? novi eius familiam, amplissimá est; Asinius ipse mihi cognatus est, ha, ha, ha.

NEOP.

BAVIANA, FATUANA, TURLUPINIANA, seu EPITOME LIBRORUM IN ANA.

AMPH.

Acutè!

TIS.

O insulsitas!

MOR.

ANA, ANA, ANA; amo libros in ana. An ibi sunt Morologiana?

NEOP.

Nondum. Sed addentur in editione alterâ. Nugypolyloquides, ignorantiæ schola, & collectio librorum qui in Pontis crepidine prostantes emptorem & lectorem advocant. Nitent illi ornatu cæruleo insigniti. Apud nos nuncupatur cærulea Bibliotheca. Vulgò, *la Bibliothéque bleue.*

AMPH.

Egregiè.

TIS.

O sordes!

MOR.

La Bibliothéque bleue! recreat me iste titulus; recreat ipse color. Placent mihi ante alios

libri ficuti faccharum cæruleâ vefte involuti & ipfo faccharo magis plerumque infulfi, fed infulfis hominibus falfi funt, ha, ha, ha!

NEOP.

OFFICINA SOMNIFICA, in quâ abundè reperiuntur pharmaca conciliando fomno aptiffima, plurimis comprobata experimentis: five LATERCULUS LIBRORUM RECENTIUM, quorum vel una pagina fomnum accerfit.

MOR.

Officina fomnifica. O librum perutilem! Nuper cùm dormire non poffem, in librum ejufmodi novellum incidi; ille mihi ftatim conciliavit fomnum; nunc etiam excitat ofcitationem. Houa. *Ofcitatur, deinde cachinnatur.* Ha, ha, ha.

SCENA XV.

ERGASTUS, PÆDOTROPHUS, TISAGORAS, AMPHITHEORUS, MOROLOGUS, NEOPISTUS.

TIS.

UNDE tu, Ergafte, qui tam ferò prodeas?

ERG.

Ex interiore angulo, quo me pudor ob nepotis tui fegnitiam incuffus conjecit, ac detinuit.

TIS.

TIS.

Quin iſtas ab his ædibus prohibes nugas?

ERG.

Quia ſum ſervus, non dominus.

TIS.

Ubinam herus?

ERG.

Neſcio; niſi fortè in vicinis Cancellarii ædibus, quò ipſum ſubiviſſe audivi modo.

TIS.

In Cancellarii ædibus?

MOR.


Ibi nempe procurat Academiæ noſtræ patentes literas. Ha, ha, ha!

TIS.

Hei mihi! quid agam? an abeo, an maneo?

AMPH.

Abire te præſtiterit, credo.



SCENA XVI.

PHILOMELUS, DUO CANTORES, TISAGORAS, AMPHITHEORUS, MOROLOGUS, NEOPISTUS.

PHIL. *ingreditur cantitans.*

ADESTE, quotquot estis selecti Musici, instrumenta comparate omnia. Faciam nihil desit ad concentûs suavitatem.

TIS.

Etiam instrumenta musica? etiam musici.

AMPH.

Etiam, vir optime. Musicam peperit otium, & otium alitur musicâ: ambo conveniunt; & Musica mirificè consonat cum Academiâ otiosorum.

PHIL.

Præcine. Mox alternis canemus.

TIS.

O superi! vix sum apud me.

MOR.

Quanta inest vis Musicæ! jam vir gravissimus vix est apud se. Ipse ego vix possum continere pedes. Da manum, Pædotrophe.

PHIL.

Agite nunc Cantores suavissimi, singulas

ſtrophas, quibus pauca è multis comprehendi otioſorum genera, claudite ſonis ad numerum repetitis. La, la, la.

TIS.

O utinam poſſim obſurdeſcere!

PÆD.

Ego mihi aures obturabo.

MOR.

Ego aurem utramque canentibus commodabo.

PHIL. *cum cantoribus.*

Fainéans & faiſeurs de riens,
Seront nos Académiciens.
O la nombreuſe Académie!
Combien de gens en cette vie
Perdent leur tems?
Præſto, præſto muſette,
Qu'on les mette
Parmi nos fainéans.



Dans un cercle, ou dans un caffé
Le cœur froid, l'eſprit échauffé,
Que fait ce profond politique?
Il réforme la république;
Il perd ſon tems,
Præſto, &c.



Un philoſophe en ſon cerveau
Arrange un ſyſtême nouveau.

Que produit le nouveau syſtême ?
Le monde ira toujours de même,
Il perd ſon tems,
Præſto, &c.



Jeune Légiſte allant en Droit,
Ne marche pas toujours bien droit.
Arrive-t-il juſqu'à l'école,
Il entre, & puis zeſte il s'envole,
Il perd ſon tems,
Præſto, &c.



Cenſeur malin veut ravaler
L'Auteur qu'il ne peut égaler.
Fait-on grand cas de ſa critique ?
On ſait quelle mouche le pique.
Il perd ſon tems,
Præſto, &c.



Tel homme eſt chargé d'un emploi,
Ou pour le peuple, ou pour le Roi.
Travaille-t-il ? c'eſt un myſtere,
Qu'on le demande au ſecretaire,
Il perd ſon tems,
Præſto, &c.



Sur leurs défauts petits & grands
Un pere prêche ſes enfans.

La morale eſt bonne & bien ample.
Qu'y manque-t-il? le bon exemple,
Il perd ſon tems,
Præſto, &c.



Contre un indolent petit-fils
Grand papa jette les hauts cris.
Lui procure-t-il l'opulence,
Qui fomente ſon indolence,
Il perd ſon tems,
Præſto, &c.

TIS.

Quid audio? repete.

MOR.

Ho! non ita obſurduit ſenior noſter, ut non audiat. Repete, Philomele, repete.

PHIL. *ſtrophen repetit.*

Contre un indolent petit-fils.

TIS.

Ergo me quoque dignum judicatis, quem in Academiam veſtram otioſam, & inſulſam admittatis.

AMPH.

Dignus es qui admittaris inter Academicos honorarios, id eſt plerumque otioſos, ut fit in aliis quibuſdam Academiis.

TIS.

Non poſſum hic ultra conſiſtere. Abeamus,

Pædotrophe. At faciam herclè ne desidiam nepotis arguar fovere.

ERG.

Hem, isthic resiste. Herum video. En subit.

SCENA XVII.

MISOPONUS, TISAGORAS, AMPHITHEORUS, MOROLOGUS, NEOPISTUS, PHILOMELUS, ERGASTUS, PÆDOTROPHUS.

MOR. *Omnes Academici surgunt honoris causâ adventante Academiæ præside.*

SURGITE; & tranquillissimo nostro Præsidi salutem impertite.

MIS. *ruit in Avi sui amplexum.*

Liceat mihi avorum optime.

TIS.

Accede, nepotum pessime.

AMPH. *ad Tisagoram.*

Meliora verba cum Academicis.

TIS.

Accede ut maledicam tibi, nepos degener.

PÆD. *ad pedes Tisagoræ accidit.*

Ah! parce.

TIS. *manum attollens quasi maledicturus nepoti.*

Ego tibi maled. . .

Mor. *manum Tisagoræ cohibens.*
Maledictis intercedo tuis.

Tis.
Ego pro potestate meâ. . .

Mor.
Ego pro auctoritate Academicâ.

Tis.
Abstine tandem ineptè loqui, & agere.

Mor.
Abstine tu velle maledicere.

Tis.
Non mihi licebit in nepotem uti jure meo?

Mor.
In Academicos nihil juris habes.

Mis.
Adeste mihi, Timander, Critobule, adeste ocyùs, & iracundiam avi prohibete.

SCENA XVIII.

TIMANDER, CRITOBULUS, MISOPONUS, TISAGORAS, AMPHITHEORUS, MOROLOGUS, ERGASTUS, PÆDOTROPHUS, PHILOMELUS.

Tim.
DEsine, Tisagora.

TIS.

Desinam, Timander. Nunc, nunc maximè decet incipere, & quod statui supplicium de nepote perdito sumere.

CRIT.

Quin potiùs nunc te misericordem esse decet quàm maximè.

TIS.

In tantis misericordem peccatis, Superi! hunc mihi titulum videte.

TIM.

Videmus, at illum. . .

TIS.

Hanc mihi cauponiam supellectilem intuemini.

CRIT.

Intuemur, sed illam. . .

TIS.

Hæc arma conspicite aleatoria.

TIM.

Conspicimus, verùm illa. . .

TIS.

Hanc mihi librorum farraginem evolvite.

CRIT.

Evolvere nihil attinet, siquidem illam. . .

TIS.

Hæc instrumenta musica considerate.

TIM.

Illa considerare nil refert, quoniam illa. . .

TIS.

TIS.

Hanc nepotis vitam, hos mores, hæc consilia, hæc flagitia expendite.

CRIT.

Expendimus: ſed enim illum...

TIS.

Nec vos illius pudet! nec vos mei miſeret! heu me! in hanc vixi ignominiam. *Cadit in cathedram animo deficiens; & vix ſe baculo ſuſtinet.*

PÆD. *plorans.*

Heu, hoi.

MOR. *ridens.*

Ha, ha, ha.

TIM.

Quin loqueris, Miſopone.

MIS. *in angulo Theatri ſtans, nec jam avum audet intueri.*

Non audeo.

CRIT.

Vel uno te verbo purgare potes.

MIS.

Non poſſum.

TIS. *ſurgens cum vehementi impetu.*

Certum eſt, ego te meis, quibus poſſum, excludo bonis.

MOR.

At non excludes Academiâ.

TIM.

Audi me, Tisagora.

TIS.

Satis multa pro eo dixisti; nihil, audio præterea.

CRIT.

Istum certè qui te nepoti infensum facit errorem evellemus tibi.

TIS.

Non erro.

CRIT.

Misoponum removere à se omne munus existimas.

TIS.

Existimo & scio.

CRIT.

Erras, magistratum suscipit.

TIS.

In Academiâ otiosorum.

MOR.

Ita hercle. Ha, ha, ha!

CRIT.

In senatu.

TIS.

In senatu Academico.

MOR.

Bene interpretatur. Ha, ha, ha!

CRIT.

In senatu vestro.

MOR. *stupens.*

Oh!

TIM.

Hunc ipsum geret magistratum, quem ipsi reliquit pater, quem sibi hodie poposcit Critobulus, & remisit.

AMPH. *stupens.*

Hui!

CRIT.

Hunc geret propediem.

PÆD. *præ gaudio vociferans & exiliens.*

Ha.

NEOP. *territus ac mœstus.*

Hon.

CRIT.

Jam se contulit ad Cancellarium.

PHIL. *tristes modos ingeminans.*

La, la, la.

CRIT.

Jam literas petiit ad senatum regias.

TIS. *sensim animos colligens, nec tamen convictus.*

Hoccine est credibile?

TIM.

Hoc credere potes & debes.

TIS.

Si vera sunt, quæ audio de te, quin accedis, nepos charissime? quin me complexu petis?

MIS. *avum cum reverentiâ salutat & amplectitur.*

Vera sunt quæcunque Critobulus dixit, & illud præterea verum est, quod omisit, ejus consilio, adhortatione, precibus factum esse, adnitente Timandro, ut ad munus forense converterem animum, qui ab eo diu maximèque fuit alienus; qui nunc in eo totus est, &, quoad vivam, semper erit.

TIS.

Ut me beas, nepos dulcissime! iterum amplectere. O Critobule, ô Timander, dum mihi nepotem redditis, qualem volui, animum redditis. Intrò subite. Hic mecum hodie cum nepote suavissimo cœnabitis de meo. Jussa excipe, Ergaste; sequere, Pædotrophe.

ERG. *ad Misoponum.*

Here, quoniam ejuras desidiam, ego tibi operam obligo meam.

PÆD. *alumni manum osculans.*

O alumne! alumne! (*à parte*) ô Galatea, quàm lætum tibi referam nuncium!

AMPH.

Sed enim de Academiâ nostrâ quid fiet?

MIS.

Illi sedem aliò quærite. Nam apud virum forensem otium habitare commodè non potest. *Misoponus valedicit, Academicis recedentibus.*

MOR.

Iſtum ergo titulum auferam mecum & transferam in domum Onagrii cantoris mei locupletem & otioſam. . . ho ! non peribit Academia *de gli otioſi.* Antea peribunt multæ doctorum Academiæ ; & ex operoſis fient otioſæ. Vivet itaque Academia *de gli otioſi.* Si quis veſtrûm in illam admitti velit, veniat ad me. Illum introducam : interim valete & ridete. Ha, ha, ha !



EPILOGUE

EN COUPLETS.

AIR DE TROMPETTE.

FUYONS une molle indolence,
Suivons la voix de l'honneur,
Plus on ſe fait de violence,
Plus on trouve de douceur.
Après les allarmes,
Après les travaux,
On goute mieux les charmes
Du repos.

Le soldat avide de gloire,
Soupire après les combats,
Plus on lui vend cher la victoire,
Plus elle a pour lui d'appas.
Après les allarmes, &c.

Le Pilote brave l'orage,
En luttant contre la mort.
Plus il s'est vu près du naufrage,
Plus il est tranquille au port.
Après les allarmes, &c.

Le Laboureur seme en automne
Et seme dans la douleur,
Mais la peine même assaisonne
Les doux fruits de son labeur.
Après les allarmes, &c.


Un jeune éleve du Parnasse
Court par de rudes sentiers
Pour arriver des premiers.
Arrivé-t-il? il se délasse
A l'ombre de ses lauriers.
Après les allarmés, &c.



LIBERI
IN DELIGENDO VITÆ INSTITUTO COACTI.
FABULA.

ARGUMENTUM.

THEMISTUS, vir Patricio genere natus, pravo quorumdam patrum exemplo adductus, deceptus periculosâ multarum familiarum consuetudine, ac inprimis Theobuli vaferrimi Sycophantæ fraudibus illusus liberos in deligendo vitæ statu omninò cogere decreverat, ratus non tam ingenium, dotes & animorum studia, quàm natalium ordinem, in assignandâ illis vitæ conditione, esse spectanda. Antinous, quia natu major, paternum magistratum inire jubetur. Agathocles, quia natu minor, aris destinatur. Uterque propositum sibi vitæ genus odit ac detestatur. Antinous fugit è paternâ domo. Themistus, Philoclis fratris sui curâ, filium recipit. Theobuli fraudes deteguntur, Themistusque suo discit periculo non cogendos esse liberos in deligendo vitæ genere.



PROLOGUE.

LE Ciel en nous donnant la vie
Nous asservit aux mêmes loix ;
Mais, pour le bien de la patrie,
Il nous forme à divers emplois.



L'UN doit, éloigné des allarmes,
Dicter les arrêts de Thémis :
L'autre par la force des armes
Repousser nos fiers ennemis.



CELUI-CI, pour donner l'exemple,
Revêtu d'un honneur sacré,
Doit faire révérer le Temple,
Où lui-même il est révéré.

Celui-la dans la solitude,
Où l'amour divin l'a conduit,
Doit mettre toute son étude
A fuir le monde qui le suit.



En marquant ces routes diverses
Le Ciel nous y veut faire entrer ;
Mais que nos volontés perverses
Font d'efforts pour nous égarer !



Nous entrons souvent par caprice
Dans le chemin le plus battu :
Et nous commençons par le vice,
Pour arriver à la vertu.



Souvent une force étrangère
Captive notre liberté,
Et l'on est par le choix d'un pere
Ce qu'on n'auroit jamais été.

Encor si ce choix étoit sage,
Mais hélas ! que consulte-t-on ?
Le hazard, l'intérêt, l'usage,
Et presque jamais la raison.



En vain le Ciel & la nature
Condamnent cet aveugle choix :
En vain notre cœur en murmure,
On en n'écoute point la voix.



Ainsi voit-on l'enfant timide,
Qui sur les Lis devroit s'asseoir,
Forcé par un ordre homicide,
Porter la main à l'encensoir.



Ainsi l'on voit croupir sans gloire
Dans le crime, ou dans le repos,
Le Magistrat que la victoire
Eût compté parmi ses Héros.

PROLOGUE.

Ici j'apperçois l'innocence,
Qu'on arrache aux ſacrés Autels,
Et qu'une injuſte violence
Immole à des Dieux criminels.



La je vois marcher la victime,
Qu'on ſacrifie à l'intérêt.
Une autorité légitime
Porte un illégitime arrêt.



Peres cruels & parricides,
Suſpendez un coupable effort.
Songez que vous êtes nos guides,
Non les maîtres de notre ſort.



Vous pouvez nous montrer la route
Où nous devons porter nos pas.
La raiſon veut qu'on vous écoute,
Mais conduiſez, ne forcez pas.

Un choix, dont les périls extrêmes
Nous menacent bien plus que vous ;
Un choix, qui se fait pour nous-mêmes,
Ne doit pas se faire sans nous.



Tels sont les avis salutaires
Que nous allons donner ici,
Est-ce à nous d'instruire nos peres ?
Ils s'instruiront, & nous aussi.



ANTIN.

At quæso te, frater, omitte me...

AGATH.

Cogita quæ sit parentum in liberos auctoritas.

ANTIN.

Auctoritatem parentum in liberos scio esse maximam, sed non ut faciant miseros.

AGATH.

Te beatum velit pater.

ANTIN.

Et me illud vitæ genus amplecti jubet, quo fiam miser.

AGATH.

Adeòne miserum est magistratum inire, forensem togam induere?

ANTIN.

Miserum est illud facere, quod nolis. A quo vitæ genere abhorreas, illud sequi, id verò miserrimum.

AGATH.

Non video quid tantum forensis toga importet incommodi: illâ tectus amicos protegis, terres inimicos; & tibi, & familiæ, & Reipublicæ bene consulis.

ANTIN.

Qui magistratum init coactus, qui gerit invitus, & sibi, & familiæ, & Reipublicæ consulit malè.

AGATH.

AGATH.

At verò cur magiſtratum ineas coactus? cur geras invitus?

ANTIN.

Quia nolo: quia non lubet.

AGATH.

Non vis?

ANTIN.

Nec volo, nec velle poſſum. Sæpè togatorum commoda, gratiam, opes revolvi animo; ſæpè illorum vivendi rationem exegi mecum, laudavi, volui amare, non potui.

AGATH.

Non potuiſti, cur autem?

ANTIN.

Cauſam omitte quærere. Cur ab illo vitæ genere refugiam neſcio: at refugit animus, abhorret, hoc ſcio.

AGATH.

Ah!

ANTIN.

Suſpiras, frater: quid eſt? quid ingemiſcis?

AGATH.

Et tuis malis ingemiſco, & meis.

ANTIN.

Fratri miſerrimo condolere, hoc fratris hoc Agathoclis eſt; at quibus malis indoleas tuis non video.

AGATH.

At scito, frater, quod intelligere te jamdiu oportuit (si quid præter suas miserias intelligerent miseri) scito me ad illud quoque vitæ institutum adigi à patre, quod toto refugiam pectore.

ANTIN.

Atqui tamen institutum illud nihil habet, quod ita reformides. Imò plurimum offert commodi. Ad sacros honores viam aperit, & jucundum parit cum dignitate otium.

AGATH.

Mihi neque placet illa dignitas; & otium illud displicet.

ANTIN.

Quod placet multis, cur tibi displiceat, si quæram, te quoque nescire dices.

AGATH.

Dicam certè; & verè dicam. Neque ut placeamus aliis, neque ut res nobis placeant in voluntate nostrâ situm est.

ANTIN.

Et tamen illo te vitæ genere implicari sines; neque obsistes.

AGATH.

Méne paternæ voluntati obsistere?

ANTIN.

Quidni? si quod velle non debet, hoc velit pater.

AGATH.

Preces, lacrymas, apud patrem adhibere fas est; patri repugnare est nefas.

ANTIN.

At repugnabo ego.

AGATH.

Quid ais, frater?

ANTIN.

Quod faciam.

AGATH.

Nunquam id facies, quod ne facias vetant pudor, reverentia, pietas.

ANTIN.

Ut faciam jubet dolor, cogit imperiosa necessitas. Philoclem patruum rogavi, ut hac de re adeat, & oret patrem; at nisi orando exoraverit, certum est, illud aggrediar & exequar denique, quod mihi doleat quidem, at patri doleat quoque, & forsan diu.

AGATH.

Cave indignum te quidquam feceris.

ANTIN.

Me nihil indignum faciam, dùm nihil cogar indignum pati. Preces meas jamdudum respuit pater; si & ipsa Philoclis monita cesserint irrita, quidquid deinde peccavero, hoc sibi totum pater imputato.

AGATH.

Philoclis monita non cedent irrita nisi

Theobuli consilia obstiterint. Hic patris occupavit animum, illum regit; quò vult, impellit; undè vult, deducit; & arbitrio ac propè imperio moderatur suo.

ANTIN.

Ergone parentem, virum, cæterà non imprudentem, ita capi falsâ doctrinæ ostentatione, ita deludi austerioris vitæ specie, ut Theobulo magis credat quàm amicis, quàm liberis, quàm sibi?

AGATH.

En tibi cum patre subit.

ANTIN.

Abeamus isthinc. Neque verò temperare mihi possim, quin sycophantam, quibus par est, dictis excipiam, & probris.

SCENA II.

THEMISTUS, THEOBULUS.

THEOB. *librum offerens.*

HUNC librum accipe, Themiste.

THEM.

Accipio cum gratiâ.

THEOB.

Hunc serva.

THEM.

Servabo propter te.

THEOB.

Hunc lege.

THEM.

Legam, cùm tempus ſinet.

THEOB.

In hoc libro habes ſalubrem, puram, cœleſtem doctrinam. Atque, cùm hoc dico, mihi certò debes credere, Themiſte.

THEM.

Omnia quæ dicis, prorsùs credo, Theobule. Quamquam mirari aliquandò contingit, quomodo in rebus theologicis tam acutùm cernas, qui ſtudium in Theologiâ nunquam poſueris.

THEOB.

Non poſui equidem ſtudium in ſcholis publicis, ubi Theologia tricis Ariſtotelicis implicata perturbat omnia, & denſas veritati obducit tenebras: ſed in privatis eruditorum hominum colloquiis; ſed in libris elegantibus & piis, quos qui legit aſſiduè, ſive vir, ſive fœmina, brevi Theologus evadit.

THEM.

Fœmina Theologus. Iſta non congruunt.

THEOB.

Non congruunt grammaticè, ſed theologicè congruunt, Ne dubita fœminas Theologiæ

nostræ peritas possim tibi appellare plurimas.

THEM.

Stupenda loqueris.

THEOB.

Mirari desines, cùm libros à nostris auctoribus scriptos perlegeris.

THEM.

Olim cùm ab optimo parente forem in juris disciplinam traditus, legebam plurimùm. Nullum erat comœdiæ aut fabulæ genus quod non evolverem. In libris ejusmodi vigilabam, dormiebam, vivebam. Nunc verò abiit legendi libido ac facultas. Vix chartas supplices, quæ mihi à dextrâ lævâque obtruduntur, licet obiter, cursim & aliud agendo legere. Danda nimirum opera rei civili, danda rei forensi, danda rei domesticæ; salutandi amici, audiendi cognati; regendi liberi qui ubi adoleverunt, jam neque regi volunt, neque corrigi.

THEOB.

Ergone de proposito vitæ instituto nondum tibi assentiuntur liberi?

THEM.

Nondum.

THEOB.

Etiam cunctatur Antinous.

THEM.

Imò resistit.

THEOB.

Filius non obsequitur patri?

THEM.

Adversatur.

THEOB.

Mirum! tametsi post lapsum primi hominum parentis, homines labi nihil mirum est. Hos casus miseris mortalibus importat ineluctabilis, sed justa necessitas.

THEM.

Quid ais? an filium necesse est violare mandatum patris?

THEOB.

Magnum hoc, Themiste, magnum, inquam, mysterium! sed Antinoum alloquar; & ingenium asperius mulcebo verbis. Agathocles verò admovendus aris ocyùs, facilis & grata supremo numini victima.

THEM.

Victima non ita facilis, & sequax. Non reluctatur ille quidem, sed neque animo satis hilaro obsequitur.

THEOB.

Faciam obsequatur ultrò . . . Hierocrysum de sacro beneficio adivi, ut promiseram.

THEM.

Quid ille?

THEOB.

Id faciet quod suasi ut faciat. Sponte se vir

optimus abdicabit sacro beneficio, ne fortè illud, se mortuo, transeat in avaras, & impuras manus: ipsum vivens & volens tradet Agathocli, ut bene utatur, & laboranti ferat opem veritati.

THEM.

Itane verò, Theobule?

THEOB.

Maximè. Ex illo Agathocles annis singulis nummos colliget ducentos supra ter mille.

THEM.

Nummos ducentos supra ter mille.

THEOB.

Omnino.

THEM.

Sentio, Theobule, neque tibi, neque Hierocryso posse satis pro merito à me referri gratiam; sed referet Deus, cujus causâ agis omnia quæ facis.

THEOB.

Ita spero quidem. Tu tamen poteris Hierocryso singulis annis nummos numerare octingentos. Senior est ille; ætate confectus est: brevi te illâ pensione annuâ moriendo absolverit.

THEM.

Oh! expendam libens.

THEOB.

Nisi fortè pensionem illam redimere velis

&

& illo te onere ſtatim eximere.

THEM.

Ut lubuerit.

THEOB.

Poteris & mihi quotannis nummos attribuere ſexcentos, quos non ideo peto, quòd ſim pecuniæ appetens. Nam, quæ Dei gratia eſt, divitias, commoda, honores negligo, nihili facio, reſpuo: ſolas doctrinæ cœleſtis opes amo, expeto, ambio.

THEM.

Credo equidem.

THEOB.

Quod ſi nummos aliquot à te mihi patiar attribui, non in meos accipiam uſus; ſed ad emendos libellos piè ſcriptos, quos in pias tradam manus.

THEM.

Laudo.

THEOB.

O mi Themiſte, quàm vileſcit hodie cœleſtis doctrina! quàm paucos ejus emptores invenias! deliberatum mihi eſt à profanis hominibus recedere longiùs, ad te propiùs accedere. Illic habitare in viciniâ. Indè ventitare ad te ſæpiùs, & tecum arcana de veritatis amore colloquia miſcere. Nam mihi ad veritatis myſteria videris peridoneus.

Hh

THEM.

Non ita me ſubtilioris ejuſmodi doctrinæ capacem arbitror.

THEOB.

Qui candidus eſt ac ſimplex, veritatis capax eſt, aut fieri poteſt. . . Eſt, mihi fratris filia nobilis adoleſcentula, utroque parente orbata, meam in tutelam tradita, quam ego cœleſti noſtrâ doctrinâ inſtitui à teneris. Illa omnium quæ hodie à Theologis tractantur, controverſiarum apprimè ſciens. De illis diſputat egregiè, ſubtiliter, validè. Illam, niſi tibi moleſtum eſt, adducam mecum identidem.

THEM.

Veniat ſæpiùs, veniat: illam cum fratre meo militari homine, ſed arguto & Philoſopho diſputantem audire juverit.

THEOB.

Non eſt illa quidem fortunæ muneribus admodum inſtructa, ſed naturæ Deique donis ornata præter modum, veteris modeſtiæ, & diſciplinæ ſeverioris amantiſſima: &, niſi, quâ ætate vivimus, negligeretur indotata virtus, potuit affinitate ſuâ ampliſſimam beare familiam.

THEM.

Magna dos eſt probata virtus. Nunc quoniam vis & potes adjuvare conſilio liberos,

illos adeas precor; & ad voluntatem meam quâvis arte inflectito.

THEOB.

Illos adibo, & quid fecerim, dum Philoclem alloqueris, quid perfecerim, mox renuncio.

SCENA III.

THEMISTUS, PHILOCLES.

PHIL.

Ut vales, frater? ut valent liberi?

THEM.

Ita valent liberi, ut minus valeam.

PHIL.

An alterutri malè est?

THEM.

Utrique nimium bene est, mihi nimium malè.

PHIL.

Liberis non potest esse nimium benè; tibi verò esse malè, non indicat iste vultus.

THEM.

Iste vultus! iste vultus! quid refert sanum esse vultum, dum ægritudine maceratur, macessit, consenescit, tabescit animus; dum liberi. . . .

PHIL.

Dum liberi. . .

THEM.

Omnia domi ſusdeque vertunt.

PHIL.

Atqui domi recta mihi videntur eſſe omnia.

THEM.

Jocari tibi vacat, mihi non item.

PHIL.

Neque jocari vacat, neque lubet. Sed miror quomodo adoleſcentes neque à naturâ, neque ab inſtitutione petulantes præter modum, ſusdeque vertant omnia.

THEM.

Annon invertunt omnia qui præſcriptum à naturâ familiæ ordinem invertunt.

PHIL.

Invertunt præſcriptum à naturâ familiæ ordinem. Grande profectò nefas, & inexpiabile. Quomodo autem.

THEM.

Antinous magiſtratum inire renuit.

PHIL.

Quid deindè?

THEM.

Agathocles ſacrum vitæ inſtitutum ægrè ſequitur.

PHIL.

Quid poſtea?

THEM.

Numquid vis amplius?

PHIL.

Nihil volo, niſi quod velis. Sed expecto dum inverſum à liberis naturæ ordinem commemores.

THEM.

Proh Deus immortalis! natum natu majorem è togato patre ad togam natum togam reſpuere; natu ſecundum, aris natum, ab aris refugere, quid eſt naturæ ordinem invertere, ſi hoc non eſt?

PHIL.

Natum togæ natum togam reſpuere, eſt hoc profectò contra leges naturæ.

THEM.

Omnino.

PHIL.

Si togæ ſit natus ſcilicet.

THEM.

Qui togatâ in familiâ naſcitur primo loco; annon is togæ naſcitur?

PHIL.

Vis apertè dicam quod ſentio?

THEM.

Loquere.

PHIL.

Sed vide, ne quis adoleſcentulus inaudiat.

THEM.

Nemo nos audit.

PHIL.

Nam facilè bona, malè interpretando, in pejus vertunt adoleſcentuli.

THEM.

Ne metue, loquere, inquam.

PHIL.

Sic igitur ſtatuo: in attribuendâ liberis vivendi conditione, non ita videndum eſſe quo ſint geniti ordine, quàm quibus prædìti ſtudiis ac virtutibus.

THEM.

O ſuperi! quid ais? non ita videndum quo ſint ordine & gradu geniti.

PHIL.

Noli reclamare: audi me. Liberos vis vitam vivere beatam, nonne?

THEM.

Volo maximè.

PHIL.

Vis prodeſſe familiæ, & Reipublicæ?

THEM.

Et hoc volo.

PHIL.

Ergo ut ſint beati, illorum ſtudia inſpice: ut ſint familiæ reique publicæ utiles, illorum virtutes expende.

THEM.

Negas igitur ſequendum eſſe naſcendi gradum & ordinem?

PHIL.

Imo, aio ſequendum eſſe, ſi congruant adoleſcentium ſtudia, animique dotes: ſin minus. . . .

THEM.

Sin minus. . . .

PHIL.

Sin minus attribuendum ſingulis quod ad ſingulorum voluntatem, & vires ſit accommodatum magis.

THEM.

Quid? violatis etiam naturæ ſtatutis & legibus?

PHIL.

Quæ tu mihi naturæ ſtatuta commemoras? de vitæ conditione natura conſtituit nihil; ſed alios ad alia vivendi genera inſtituit, non ex ipſo naſcendi gradu, ſed ex naſcentium indole.

THEM.

Non ſtatuit natura ut in ampliore familiâ natu maximus foro, alter aris, tertius caſtris admoveatur?

PHIL.

Eſt hoc quidem in more poſitum: ſed neque natura, neque ratione conſtitutum illud

eſt. Imò ſæpè adverſatur natura ; ſæpè ratio repugnat.

THEM.

Superi ! qualem ſapientiam ! bene certè caviſti modò, ne quis præcepta inaudiret tua : nam te ſi magiſtrum audiant parentes vel liberi, quantas, Deus bone ! in quâlibet familiâ, & in totâ Republicâ excitares tragœdias !

PHIL.

Neque ludos darem, frater, neque tragœdias excitarem : aut illas darem tragœdias, in quibus ſuam quiſque perſonam ſuſtineret cum laude, quia ſuſciperet ex certâ ratione. Non illos darem, qui dantur hodie, ludos, ubi quia de more, quia temerè, quia ſine conſilio partes quiſque ſortitur ſuas, ſæpè familiarum decus, religionis dignitas, patriæ ſalus illuditur.

THEM.

Frater optime, quid ſentias, apertè dixiſti, nonne ?

PHIL.

Sic eſt.

THEM.

Vis & ego, quod ſentio, id apertè loquar ?

PHIL.

Placet.

THEM.

Pace igitur dicam tuâ, milites militari diſ-

ciplinâ instituere, ad pugnam instruere, tuum est: patres admonere, cùm pater non sis, aut liberos erudire, non est tuum.

PHIL.

Neque id mihi arrogo.

THEM.

Monita itaque ne mihi, quæso, obtrudas amplius.

PHIL.

Non veni monitum, rogatum venio, ne quid de Antinoo statuas acerbius, ne ingenium adolescentis tractes inclementiùs, ne quid facias denique, quod subindè infectum velis.

THEM.

Nihil faciam temerè, nihil sine auctore.

PHIL.

Theobulo auctore scilicet?

THEM.

Ita: auctore Theobulo. Scio ab illo quantùm dissentias. Sed hanc mihi veniam dabis, frater, ut homini cœlesti doctrinâ imbuto credam magis, quàm militari viro.

PHIL.

Homini alieno magis credas, quàm fratri; per me licet; dum ne periculo credas tuo.

THEM.

Cave illum mihi alienum dixeris, qui me amat, ah! quem amo! qui rebus meis providet!

PHIL.

Ut provideat suis.

THEM.

Qui ab Hierocryso impetravit ut sacrum beneficium transmittat Agathocli, unde hic ter mille nummos, eòque ampliùs, quotannis auferat.

PHIL.

Itane verò ?

THEM.

Sic est. Tantùm Hierocryso octingentos, sibi sexcentos nummos annis singulis pendi postulat.

PHIL.

Pactionum ejusmodi non sum peritus satis; sed nescio quid fraudis & sceleris hîc suspicor.

THEM.

Fraudis vel sceleris nulla suspicio in Theobulum cadit ; qui jus sacrum apprimè novit; qui Theologiæ numquam dedit operam in scholis, & illam colloquendo vel legendo didicit; qui Ah ! . . . non nosti hominem.

PHIL.

Utinam bene tu noveris! Verùm ut ut est, Agathoclem facies forsan nummatum bene; sed vereor ut facias beatum.

THEM.

Qui bene nummatus est, beatus est. Qui

Theobuli consiliis regitur, fit ille verò beatorum beatissimus.

PHIL.

Habes igitur unde beatissimus sias, ecce tibi advenit, vale; & Antinoo ut benè consulas vide.

SCENA IV.

THEMISTUS, THEOBULUS.

THEOB.

QUID hoc esse dicam? fugiunt me liberi tui. Agni rebelles vocem pastoris non audiunt.

THEM.

Quid ais? fugiunt te liberi.

THEOB.

Frustra voco, advoco; neque aspiciunt me, neque respiciunt.

THEM.

Faciam certè audiant te, & obediant.

THEOB.

Vide ne illis causâ meâ succenseas. Illis benè esse volo, non malè.

THEM.

Hìc opperire illos, quæso. Faxo tibi adsint ocyùs.

THEOB.

At volentes volo, non reluctantes: : : : ahi. . . . *adsidet.* Superi! quàm imbecillo sum stómacho & pectore! illud fomento aliquo intùs fovendum est. . . *crustula saccharo condita ori admovet & dentibus terit.* Non ut sapiat ori, sed ut cordi sapiat. Ah! Deus bone! quàm amaræ sunt deliciæ!

SCENA V.

THEOBULUS, DIAPHANES.

THEOB.

At unde Diaphanes servorum minimè malus, maximè sincerus, & verè pellucidus?

DIAPH.

Salvus sis, vir eruditissime, & divinis, ut aiunt, consiliis plenissime.

THEOB.

Quid est, ô noster, quod sic alticinctus, & ocreatus redeas?

DIAPH.

Redeo ex prædiis rusticis, ex quibus pecuniam ut colligerem, provincia mihi fuit ab hero attributa.

THEOB.

Difficilis certè difficillimis his temporibus provincia. Collegisti tamen aliquid?

DIAPH.

Nondum quidem; sed intra biduum herus mille nummos colliget; post triduum bis mille; post quatriduum ter mille; atque illud ipsi renuncio.

THEOB.

Expecta paululùm. Nummos mille . . . bis mille . . . ter mille . . . multa scilicet Themistus habet latifundia.

DIAPH.

Habet in Campaniâ, habet in Picardiâ, habet in Normanniâ, & plura; atque illa, nisi qua incideret calamitas, admodum fructuosa.

THEOB.

Hæc omnia optimo viro fortunet Deus optimus! quid est autem, quod nunc præcipuè Themistus pecuniam sibi præsentem velit? Neque enim, opinor, in ære alieno est.

DIAPH.

Imò habet multos in ære suo. Sed magistratum filio natu majori parare cogitat. Ad hoc pecuniâ in varios usus numeratâ est opus.

THEOB.

Filio magistratum dare cogitat, bene ille quidem.

DIAPH.

Filius militiam malit, sed renuit pater.

THEOB.

Prudenter Themistus. Militia nimios sumptus habet. . . . Nemone est, qui Antinoi affinitatem ambiat.

DIAPH.

Ambiunt multi quidem; & juvenem, gratiâ nixum & opibus, sibi affinem expetunt. Sed nihil statuet herus nisi de tuo & Philoclis consilio.

THEOB.

Multum ergo credit Philocli?

DIAPH.

Cæteris in rebus non ita. Hac unâ in re plurimum. Ratio in promptu est; cœlibem vitam ducit; Philocles liberos non habet; dives est; Antinoo potest de suo facere benè. Intelligis?

THEOB.

Intelligo. . . . Est mihi fratris filia. . . Illam vidisti aliquando?

DIAPH.

Vidi sæpè, nunc in macello, nunc in foro, cum obsonii aliquid vel oleris emeret.

THEOB.

Paucas adeo habet ætas nostra hujusmodi puellas. Et fortunatus sit Themistus, illam si quando in familiam cooptârit suam.

DIAPH.

Illa certè rem familiarem hero perire non ſinat. Nam mihi viſa eſt in emendo ſagax, in dando tenax. Sed famulos alit Themiſtus, non famulas.

THEOB.

Quid famulas loqueris? non illam in famulatum dare velim, quæ genere nobilis eſt; ſed in familiam Themiſti locare quo pacto decet & loco.

DIAPH.

Tu fortè illam herili filio nuptum locare velis?

THEOB.

Ita prorsùs.

DIAPH.

Iſtud primò non intellexeram: ita ſum ingenio tardus. Jam attigi, teneo.

THEOB.

De illâ poteris verba facere apud Themiſtum, cùm opportuna ſe dabit occaſio.

DIAPH.

Faciam opportuno tempore. Nunc....

THEOB.

Manedum. Ego benevolentiæ erga te meæ volo dare aliquod pignus.

DIAPH. *manum porrigens.*

Pignore nihil opus eſt; neque is eſt Diaphanes, qui....

THEOB. *manum peræ admovens.*

Tabacothecam habeo argenteam.

DIAPH. *porrectam manum exhibens.*

Noli quæso.

THEOB.

Aureis claviculis distinctam.

DIAPH.

Nolo. . . .

THEOB.

Elegantem, miro elaboratam artificio; non ad meos usus. Itaque. . . .

DIAPH.

Gratias ago. . . .

THEOB.

Illam tibi servo domi. Libellum accipe interea.

DIAPH. *vultu subtristi caput detorquens.*

Hon! libellis non utor admodum.

THEOB.

Libellus est, sed libellus aureus.

DIAPH. *vertens caput versùs Theobulum.*

Aureus! . . . at in isto libro ne una quidem auri linea, vel mica est.

THEOB.

Non est aureus foris iste liber, (nam in omnibus modestiam cum munditiâ jungimus) sed intus aureus est. Inscriptionem lege.

DIAPH. *legens.*

Spe . . . speculum pietatis.

THEOB.

THEOB.

Specula cætera, tanquam ſupellex muliebris; procul ab oculis removenda ſunt. Iſtud ſemper habendum in manibus. Hoc inſpice, in hoc contemplare te.

DIAPH.

Legere haud multum vacat, ſed contemplabor te: tu verè ſpeculum pietatis es. Te contemplari ſatis mihi eſt.

THEOB.

He! ingenioſè & facetè.

DIAPH.

He, he, he.

THEOB.

Diligenter obſervato, Diaphanes, quinam Themiſtum adeant; inprimis quinam affinitatem ejus ambiant.

DIAPH.

Obſervabo.

THEOB.

Et mihi clam renunciato.

DIAPH.

Renunciabo.

THEOB.

Non quia hoc reſcire mágni interſit meâ; ſed quia Themiſti referat maximè.



SCENA VI.

THEMISTUS, THEOBULUS, ANTINOUS, AGATHOCLES, DIAPHANES.

THEM. *in postscenio.*

PROCEDITE, ingrati, procedite.

DIAPH.

Herum audio.

THEM.

Sic vos ab optimo viæ duce refugere?

DIAPH.

Salvus sis, here; me reducem vides.

THEM.

Ingredere, Diaphanes; te alloquar modò.

THEOB.

Adeste, adolescentes optimi, accedite; ne veremini.

THEM.

Perfidi! sic vos amari! sic immerentes. Neque vestrâ causâ quantùm velit vir optimus, vos intelligere?

THEOB.

Faciam intelligant, si me audient.

THEM.

Audient certè.

THEOB.

Sed illos seorsim alloqui juverit; te priore loco, Antinoe.

THEM.

Abscede paululum, Agathocles. Tu accede propiùs, Antinoe. At vide, per Superos, vide ne quid contradicas vel mussites. Mox redeo. Et si quid minùs reverenter dixeris, ego te... *pugno minitans.*

SCENA VII.

THEOBULUS, ANTINOUS.

THEOB.

SEDEAMUS. Adsideto, fili charissime. Ah! *Antinous primus assidet latere obverso.*

THEOB.

Nascimur omnes, quotquot vivimus...

ANTIN.

Sic est.

THEOB.

Respice me. *Antinous superbè respicit, ac deinde avertit oculos.*

Nascimur omnes eo genere, gradu, loco & tempore, quod ex definito probandi ho-

mines, vel reprobandi consilio constituit Deus justus.

Adverte mentem. *Antinous ex perâ tabacothecam educit, quam contemplatur.*

Illud itaque diligenter caveto ne . . . non attendis, dilecte fili . . . ne quemadmodum ille fratrum alter odio habitus est. Ausculta, precor. . . . *Antinous offert Theobulo tabacum: Theobulus respuit.*

Ne quemadmodum ille fratrum primogenitus debitum sibi principatum vendidit: sic tu primo loco natus magistratum tibi oblatum repudies. Intuere me. . . . *Antinous fingit se sternutare. Tussit, excreat.*

Non is es, credo, quem vana religio terreat. Insunt quidem aliqua gerendi magistratûs pericula. Sed quos periculis eximere vult Deus, hos invicto & inexpugnabili vallat præsidio; stant illi mediis in fluctibus tuti, mediis in ignibus illæsi. Illud itaque. . . *Antinous oscitatur, pandiculatur.*

Non audis, fili. Itaque. . . . *Antinous tibialia, vestem, aut pileum componit.*

Aliud agis. . . Quo circa illud. . . *Antinous manum movet in numerum, quasi cantilenam audiret.*

Sileo . . . sileo.

ANTIN.

Quid hæres? perge.

THEOB.

Per te non licet.

ANTIN.

Non contradico.

THEOB.

Sentio; animum tuum premit pondere suo & opprimit pravâ cupiditas. Ah! miser adolescens, quàm malè metuo, ne tremendo, sed justo Dei judicio cor tuum obduruerit; & velut ager aridus nullo jam cœlesti rore irrigetur. Sic est.

ANTIN. *surgens.*

Nihil habes, quod dicas præterea?

THEOB.

Nihil: neque verò canendum surdo est.

ANTIN. *eum fictâ reverentiâ irrisoriè salutans.*

Bene vale.

THEOB.

Vale, Antinoe. Ego te tuamque sortem lacrymis prosequar. *Cùm Antinous exiit, iracundiæ Theobulus se permittit.*

At non impune adolescentulus hominem spreverit, quem viri & matronæ nobiles reverenter audiunt. Faciam intelligat ... sed ecce prodit Agathocles.

SCENA VIII.

THEOBULUS, AGATHOCLES.

THEOB. *miti ac mellitâ voce loquens.*

DET tibi Deus optimus pectus cereum, fili mi; & ad virtutem flecti facile. *Jubet sedere Agathoclem, qui modestè verba excipit.* Ah! nescis heu! nescis, quanta nos qui undis civilibus immergimur, circumstent undique pericula. Viam calcamus asperam: facile est offendere; glaciem insistimus lubricam; difficile est consistere; medios per ignes incedimus, rarum est non ardere. A profanâ itaque turbâ refugiendum est, Agathocles, ad aram confugiendum. Nonne sponte suâ illuc animus inclinat tuus?

AGATH.

Ab aris non abhorreo. Ad aras in periculis confugio; sed aris obligari metuo. Terret me, quæ necessaria est, quæ difficilis est vitæ morumque sanctitas.

THEOB.

Timorem pone, Agathocles. Optimos habebis vitæ magistros. Ego te vel erudiam ipse, vel erudiendum tradam prudenti viro, qui tuos vultus, tuos sermones, mores tuos, te totum denique ad pietatem fingat.

AGATH.

Non sum ad fingendum natus.

THEOB.

Malè interpretaris: non finges, sed fingêris. Sic eruditus eruditorum frequentabis cœtus; erudita & pia modò cum viris, modò cum nobilibus matronis seres colloquia; atque ita bonam famam, magnum nomen brevi colliges.

AGATH.

Ista pietatis vel eruditionis ostentatio non placet. Et malim, si mentem injiceret Deus, malim loca habitare sola, & sancta, quàm...

THEOB.

Ah cave loca sola cogites! cave quis hanc mentem obtrudat tibi. Non te isto voluit donatum ingenio Deus, ut in umbrâ delitescas. Te homines inter versari decet, illos ut ab errore revoces. Te opes etiam colligere par est, ut propugnatores veritatis foveas, defendas, protegas. O fili! dilecte fili! Veritas, sancta veritas! flens dico. *Sudario oculos exterget.* Veritas oppressa jacet. Illius defensores hodie

vel nulli sunt, vel audent nihil, ô pudor! Exultant interea capitales ejus hostes, & triumphant, ô dolor... Vocem intercludunt suspiria. Cogita, fili, cogita, quæ te maneat gloria, si tu ad pusillum, sed sincerum gregem accesseris. Si tu illum opibus auxeris, gratiâ protexeris, ingenio direxeris... Plura non dico. Sat video, vinceris, è nostris eris aliquando. *Surgit, & Agathoclem amplectitur.* Hoc mihi suadet ista indoles, hoc spondet veritatis auctor, & protector Deus.

AGATH.

Nescio quid tibi de me spondeat Deus: sed si me amas, ora patrem, & obsecra, ne isti me addicat vitæ generi, quod mens horrescit, & reformidat animus.

THEOB.

Patri obtemperandum est, fili.

AGATH.

Non detrectabo imperium patris; sed ne imperet, orabo. Tu impetra, & vale.

THEOB.

Vale, Agathocles, vale, illud impetrabo, quod è re tuâ fuerit... *à parte*, & nostrâ. Repugnant liberi: urgendus est pater. Consilia minùs valent: adhibeantur imperia. Themistum adeamus. Sed ipse se dat obviam.

SCENA IX.

THEMISTUS, THEOBULUS.

THEOB.

O THEMISTE, Themiste, quàm tarda est virtutem sequi humana voluntas; quàm flecti nescia, cùm illam regit victrix & invicta cupiditas!

THEM.

Ergò consiliis liberi nondum parent tuis.

THEOB.

Consilia quæ auctorem habent Deum, ne dixeris mea. Atque utinam essent mea! Illa sperni ab Antinoo dolerem minùs.

THEM.

Illa spernit Antinous! sceleratum caput! Agathocles verò?

THEOB.

Agathoclem à veritatis studio aliquis consiliis abducit malis.

THEM.

Illum video esse Theophilo Deuterophili filio perfamiliarem, præterea nemini. Sed Theophilus iste mihi videtur adolescentum minimè malus.

THEOB.

Aliquis, inquam, quisquis ille est, filium tibi à rectâ retrahit viâ.

THEM.

An tibi non obsequitur?

THEOB.

Consilia non sequitur mea, imperia expectat tua.

THEM.

Heu perduelles filios! me miserum patrem!

THEOB.

Vis non esse miser? esto tandem pater.

THEM.

Patrem esse me pœnitet dudum, & piget.

THEOB.

Nondum fuisti: te patrem imperiis proba.

THEM.

Durum imperare est.

THEOB.

Imperare te imperat Deus.

THEM.

Quid si preces & lacrymas adhibebunt filii?

THEOB.

Lacrymas ne respice: despice injustas preces.

THEM.

Ah!

THÉOB.

Ingemis. Te amorem veritatis nondum animo combibiſſe ſatis declaras.

THEM.

Quid ita ?

THEOB.

Qui amorem veritatis hauſerunt, miſereri neſciunt. Deum orabo, ut animum obfirmet tuum. Sed vide ut Deo obtemperes.

THEM.

Tibi obtemperabo quoniam jubes. Heus, Diaphanes.

SCENA X.

THEMISTUS, THEOBULUS, DIAPHANES.

DIAPH.

QUID me vis, here ?

THEM.

Antinoum & Agathoclem quære.

DIAPH.

Illic ambo colloquentes vidi modò.

THEM.

Accerſe ocyùs.

THEOB.

Rem urge.

THEM.

Urgebo.

THEOB.

Antinoum foro, Agathoclem aris admoveto.

THEM.

Admovebo.

THEOB.

Sed ne titubes. Vicinam in domum me confero, ubi de procurando laboranti & afflictæ veritati subsidio deliberant eruditi viri. Mox ad te redeo; & quid cum liberis auctoritate paternâ profeceris, quid ultra sit agendum videbo.

THEM.

Ambo propinquant liberi. Age, Themiste amorem veritatis animo concipe, & misereri parce.

SCENA XI.

THEMISTUS, ANTINOUS, AGATHOCLES.

THEM.

ADESTE, nati, me tandem esse scietis patrem.

ANTIN.

Te patrem agnoscimus & reveremur.

AGATH.

Et amamus.

THEM.

Inanes blanditias omittite : obsequium volo. Sprevistis mea, &, quod sacrilegio proximum est, Theobuli consilia. . . .

AGATH.

Hoc Theobulus dixit?

ANTIN.

Quousque tandem versipellis homo. . .

THEM.

Parcite obloqui. Et quoniam imperia expectatis, imperia excipite.

ANTIN.

At vide, quæso, quid imperes.

THEM.

Imperare quid possim scio.

ANTIN.

Sed ne obsecro tantum velis, quantum potes.

AGATH.

Attende, precor, non modò imperare quid possis; sed & quid possumus exequi.

THEM.

Id possum, quod volo; & volo quod possum.

ANTIN.

Pater, obtestor.

AGATH.

Obſecro, pater.

THEM.

Annon ceſſabitis uterque aures mihi clamoribus verberare? ambo ſilete. Tu, Antinoe, juſſa prior excipe. Volo.

ANTIN.

O Superi!

THEM.

Volo te, & pro paterno jure impero, magiſtratum inire ocyùs.

ANTIN.

Quin potiùs imperas mori?

THEM.

Vivere te jubeo, & obſequi: Illuc te modò, & ad illos deducam, quos par eſt; jam prævisa mihi & proviſa ſunt omnia. Nulla erit mora.

ANTIN.

Pace tuâ dixerim, pater, mora erit in me magna.

THEM.

In te, ſcelerate.

ANTIN.

In me, pater.

THEM.

Tu imperata facere abnuas rebellis.

ANTIN.

Non abnuo, pater, ſed nequeo..

THEM.

Quid ais, perduellis?

ANTIN.

Non possum, inquam.

THEM.

Non potes? faciam ut possis: manedum; ego te. . . . *Vult irruere in Antinoum, Agathocles se medium interponit.*

AGATH.

Omitte pater.

ANTIN.

Vitam eripere potes; ut amem illud vitæ genus quod odi, ut illum geram magistratum, cui gerendo me sentio imparem, facere non potes.

THEM.

Per superos! si repugnabis, exhæredabo te.

ANTIN.

Bonis tuis carere malo, quàm meis onerari malis.

THEM.

Fuge, perjurum caput, fuge, meque aspectu tuo leva.

ANTIN.

Obsequor, pater.



SCENA XII.

THEMISTUS, AGATHOCLES.

THEM.

AH dura! ingrata ſoboles! me brevi coget mori. Tune etiam, Agathocles, tun' repugnabis patri?

AGATH.

Scis me, pater optime, quàm habueris ſemper morigerum in omnibus.

THEM.

Scio. At nunc maximè obſequentem volo. An obſequêris? Quid? Euh! nihil reſpondes?

AGATH. *flens.*

Pater.

THEM.

Loquere.

AGATH. *ad genua patris accidens.*

Pater dilecte.

THEM.

Surge & loquere. An obtemperabis?... Etiamnum ſiles? etiam detrectas juſſa? abſcede, fili degener.

AGATH.

Quid jubes, pater?

THEM.

Jubeo te ſacramento obligare aris caput. An parebis? Dic.

AGATH. *ſingultim ſuſpirans.*

Quo . . . quoniam ita jubes, pa . . . parebo, pater.

THEM.

Bene eſt. Te craſtinâ die ſacrorum Antiſtiti præſentem dabo. Ibis?

AGATH.

Ibo.

THEM. *enſem ejus lateri accommodatum oſtendens.*

Arma iſta exuenda ſunt. Exues?

AGATH.

Exuam.

THEM.

Aliud veſtis induendum genus. Indues?

AGATH.

Induam, pater.

THEM.

Caput iſtud tondendum erit de more. An tondendum dabis?

AGATH.

Dabo, pater, dabo, & amputandum, ſi lubet.

THEM.

Sic places. Partes obſequendo impleviſti tuas, nunc omnia properando implebo meas.

Heus, Diaphanes, jussa excipe. . . . *Relegens vestigia revertitur.* At vide, Agathocles, ne quis malus à proposito bono te abducat malè.

AGATH.

Hoc visum, & provisum est satis.

SCENA XIII.

AGATHOCLES.

ME miserum! ô Deus! si me vis illam agere vitam, quam vult pater, cur non & ego volo. Cur velle nequeo? cur (ignosce dolori) cur toties roganti illud velle denegas? *Hæret aliquandiu vestes, & crispatam comam considerans.* Ergo hæc mutanda vestis! . . . mutetur. Hic deponendus ensis! . . . deponatur . . . hic repudiandus corporis ornatus! . . . repudietur. . . . Hic abjiciendus corporis cultus! . . . abjiciatur sanè, assumatur novus, dum & animos cum novo cultu assumam novos. Sed heu!



SCENA XIV.

AGATHOCLES, THEOPHILUS.

THEOPH.

VENTURUM hodie me promiseram; amice, venio, sed vix potui liberare quam tibi dederam fidem. Ita me observat pater, & ne pedem huc inferam, metuit anxiè.

AGATH.

An prohibet?

THEOPH.

Non prohibet ille quidem, sed timet.

AGATH.

Ah! ne te ille congressu & alloquio prohibeat meo, ô Theophile! ô animæ dimidium meæ!

THEOPH.

Si me præsentem gaudes, quid est quod aliqua fronti nubecula insideat? Age, lætitiam toto animo concipe, vultu exhibe.

AGATH.

Quod minùs hilaro sim animo, hoc miraris, Theophile. Quod tu hilaritatem ore tantam præferas id ego miror magis.

THEOPH.

Nam cur ego doleam, cùm nulla sollicitet animum cura?

AGATH.

At nonne (quod amico amicè confessus es) nonne de relinquendâ domo paternâ, de vitâ procul à frequenti hominum consortio agendâ cogitas?

THEOPH.

Cogito maximè.

AGATH.

Nec te sollicitum habet ista cogitatio?

THEOPH.

Imò illa me reficit, & recreat.

AGATH.

Recreat!

THEOPH.

Hac ego pascor! hac delector! hanc amo! in hac placidè ac suaviter conquiesco.

AGATH.

Numquid habet ejusmodi cogitatio quod tantum suavitatis offerat?

THEOPH.

Nescio, sed delectat, hoc sentio.

AGATH.

Eloquere tamen.

THEOPH.

Quid me vis eloqui?

AGATH.

Quod sentis.

THEOPH.

Hoc experiri licet, verbis exequi non licet: Neque, si dixero, tu dicenti habeas fidem. Sic enim est. Illa cogitatio quoties animum subit, vix sum apud me. Jam mihi solutus vinculis, jam liber, jam meus esse, jam terras linquere, jam in cœlum rapi videor mihi. Eadem destinatæ vitæ imago sæpe de nocte somnianti objicitur. Objectam animo contemplor, fugientem votis & manibus sequor; elapsam revoco suspiriis . . . stupes, amice, & me de sanâ mente dejectum putas. Quid si me in illâ vitæ imagine aliquando defixum altiùs; & nunc impotenti elatum gaudio; nunc suavissimis ebrium lacrymis videas. Quid si cætera mea enarrem deliria! sed jam te nostri miseret satis.

AGATH.

Me tui miseret! Dic me, dic invidere, Theophile.

THEOPH.

Tune idem vitæ genus sectari velis?

AGATH.

O si velle idem liceat, aut libeat mihi! sed non volentis hominis est, at vocantis Dei.



SCENA XV.

DEUTEROPHILUS, THEOPHILUS, AGATHOCLES.

DEUT. *theatrum ingrediens.*

DIc hero, Sosia, dic adesse Deuterophilum, qui paucis ipsum velit.

AGATH.

En tibi, Theophile, subit pater. Abscedamus.

DEUT.

Ne fugite me, adolescentes, ne fugite. Mihi quidem ætas jam vergit in senium; sed festivâ juvenum alacritate delector maximè, & cum pueris repuerasco lubens.

AGATH.

Non te fugimus, Deuterophile: ne molesti simus, id unum cavemus.

THEOPH.

Men' quærebas, pater optime?

DEUT.

He! non admodum. Verùm quid hîc agitis ambo, soli, quieti, otiosi?

AGATH.

Quod agere solent amici familiares, familiariter colloquimur.

THEOPH.

Et suaviter.

DEUT.

Privata ista colloquia senibus, aut certè viris concedite. Aliis vos oblectamentis oblectari decet. Ambulandum est, ludendum, saltandum. Ego cùm id essem ætatis, ibam, redibam, circumcursabam, nunc ad amicos, nunc ad theatra, quocumque animo libitum erat, ut lib..itum erat, quandiu libitum erat.

AGATH.

Mihi quidem amico jucundo nihil jucundius.

THEOPH.

Ego oblectamenta id genus non amo, quibus si me tradam, jam non sim meus.

DEUT.

En propinquat Themistus: abscedite paululum, & in hortum secedite, ambulate, tripudiate ... mox te advocabo, Theophile.

THEOPH.

Ubi tu innueris, statim advolabo, pater.



SCENA XVI.

THEMISTUS, DEUTEROPHILUS.

DEUT.

JUBEO Themistum...

THEM.

Optatò advenis, Deuterophile. Ego ad te cogitabam adire.

DEUT.

Quid erat quod me velles?

THEM.

Dicam postea. Tu doce modò, quid afferas novi.

DEUT.

Nihil admodum novi, Themiste, sed plurimùm mali.

THEM.

Hui! si quid portas mali, abstinere te nostris oportuit ædibus, neque ad nos inferre infortunium, quibus miseriarum jam satis est.

DEUT.

Et verò mali in ædes tuas nihil infero. Malum quod nescias, inesse denuncio.

THEM.

Quid isthuc autem?

DEUT.

DEUT.

Ab Agathocle tibi prudenter cave.

THEM.

Ain' tu ab Agathocle? at potiùs à Theophilo.

DEUT.

Ab Agathocle, inquam. Aliquid meditatur ille quod te luctu impleat gravi.

THEM.

Ecquid meditatur?

DEUT.

Solitudinem.

THEM.

Quam ſolitudinem?

DEUT.

In quâ procul à conſpectu tuo vitam vivat aſperam.

THEM.

Non is eſt Agathocles, qui ſeceſſum cogitet, ne metue.

DEUT.

Id metuo ſanè: ac ne Theophilum abducat ſecum, id etiam timeo magis.

THEM.

Rem ſanè lepidam! nam quæ timendi cauſa?

DEUT.

Dicam. Primùm eſt ille meus præter ætatem pius. Oblectamenta quæ petit ætas illa, is

oblata respuit. Sua illum avia, mater mea, quæ ipsum plus suis amat oculis, nuper invitavit ad spectaculum. Primùm negavit: tandem ægrè duci se passus est. Interfuit, sed ita ut præsentem abesse crederes. Ubi exclamabant alii, ibi tum cessabat puer; aliudque meditans placidè inclinabat caput; oculosque dulci fraudabat spectaculo.

Avia domum reversa quæ vidit cumque, illicò lacrymis obortis narrat: Et, periit, inquit, mihi tibique Theophilus; aliud meditatur vitæ genus; hoc parce, dixi, mater, credere: credebam tamen, fidemque mihi faciebat suspicio vetus.

Postridie mane, luctu perdita ad me iterum redit. Ah! certum est, inquit, nullus dubitandi superest locus. Puerum de nocte famulus jussu observavit meo, & visa retulit. Jacuit humi diu stratus puer, & ante somnum longas ad Deum effudit preces. Dein se composüit lecto; at inter somnia, interque gemitus, sæpè vox illa excidit: sequor vocantem, en adsum promptus, en adsum, sequor.

THEM.

Manifesta res, manifesta somnia.

DEUT.

Manifesta heu! nimis.

Extemplo scire volui quæ mali labes foret; quisve invideret natum atque animum

mihi. Obſervo amicos pueri, & amicorum indolem. Hunc video Agathocli ante alios familiarem tuo; hunc ſæpè adire, ſæpe colloqui ſine arbitris; ambos naturâ, moribus, ſtudiis pares. Quid plura? natum vel tuus perdet meum; vel ni cavebis, hic meus perdet tuum.

THEM.

Hîc adverte, quæſo, Deuterophile, quàm leves ſint ut hominum ſpes, ita & metus. Tu ne meus in ſolitudinem abducat tuum, times.

DEUT.

Timeo ſanè.

THEM.

Ego ne tuus meum ab aris abſtrahat, timui modò.

DEUT.

Temerè timebas.

THEM.

Atque idipſum eſt de quo adire te volui. Sed age ponamus ambo metum. Securus eſto de meo, &, ſi ſapis, etiam de tuo. Illum permitte quam inſtituit viam ſequi.

DEUT.

Permittam, Themiſte, hoc ſuades?

THEM.

Suadeo.

DEUT.

Ah! non licet. Si mihi rapietur ille, vita rapietur simul.

THEM.

Liberos habes duos : è duobus alterum ultro dimitte, quò destinavit animo. Ille suis precibus numen cœleste propitiabit tibi.

DEUT.

Equidem è duobus unum ultro dimiserim. Sic enim puto cum illo patre actum esse feliciter, qui natum habeat pro se & familiâ assiduè & piè supplicantem Deo. Sed natu major videtur mihi ad pium illud officium idoneus magis.

THEM.

Nonne foro ipsum destinas?

DEUT.

Non planè. Neque quid faciam deliberatum est satis.

THEM.

Est ille natu major ; neque quid facias deliberatum est satis.

DEUT.

Non pro ætatis gradu, sed pro naturæ dotibus genera vivendi assignanda liberis arbitror.

THEM.

Et hoc malè. Quamquam & iste natu major mihi videtur à naturâ instructus ad forum. Est ille patiens laboris.

DEUT.

Fateor; ſed enim. . . .

THEM.

Ad ſtudia litterarum promptiſſimo ſemper animo fuit.

DEUT.

Scio. Verùm. . . .

THEM.

Ingenio ſi minùs lepido, at judicio acerrimo eſt prædítus.

DEUT.

Non nego. At. . .

THEM.

Moribus præterea integer & ſeverus.

DEUT.

Maximè. Sed. . . .

THEM.

In magiſtratu quid requiris amplius?

DEUT.

Non eſt ille . . . venuſtus facie.

THEM.

Quid tum?

DEUT.

Non eſt . . . ſtaturâ elegans.

THEM.

Quorſum hæc autem?

DEUT.

Non habet . . . canoram vocem; & artem canendi nunquam potuit perdiſcere.

THEM.

Quid hoc ad rem? magiſtratum quæris, non cantorem.

DEUT.

Pedes habet præterea . . . nimium rigidos, & ad ſaltationem minùs habiles.

THEM.

Id curat populus ſcilicet, dum recto & ſano ſit judicio.

DEUT.

Oh! juvenem magiſtratum elegantem eſſe & lepidum decet.

THEM.

Corporis vitia, ſi qua ſunt, celabit forenſis toga.

DEUT.

Meliùs celaret ſacra & talaris toga. Theophilus contra venuſtus eſt, concinnus, totus ad unguem factus.

SCENA XVII.

THEMISTUS, DEUTEROPHILUS, DIAPHANES.

DIAPH.

HERE, illic adeſt veſtium opifex Himaturgus.

THEM.

Adesse gaudeo.

DEUT.

Tibi longiores nectere moras haud licet. Theophilum evoca, quæso, Diaphanes; adsit & sequatur. Unum te oro, Themiste, quid tuus meditetur Agathocles, vide; & si quid meâ interesse intelliges, fac ut sciam.

THEM.

Scies.

DEUT.

Ego te vicissim, quidquid tuâ interesse credidero, faciam ut scias.

THEM.

Pergratum facies.

SCENA XVIII.

THEMISTUS, DEUTEROPHILUS, THEOPHILUS, AGATHOCLES, DIAPHANES.

DEUT.

PEDEM efferamus, nate; vos omittite nos, & valete.

THEM.

Ego te ultra consequar.

DEUT.

Eh ! omitte, inquam, & quiesce.

THEM.

Non committam.... Tu consiste, Agathocles.

THEOPH. *Agathoclem alloquens.*

Rerum dulcissime, vale.

THEM.

Hem, Diaphanes, dum abeo, dum redeo, de Agathocle quod jussi, cura ut fiat sedulò.

DIAPH.

Fiet.

AGATH.

Quid jubet fieri pater? Quid fiet, Diaphanes?

DIAPH.

Te totum ornatu jam dabimus ornatum novo à capite ad calcem.

AGATH.

Quid ais?

DIAPH.

Adesdum, Himaturge.



SCENA IX.

AGATHOCLES, HIMATURGUS, DIAPHANES.

HIM. *abjiciens pallium, & pileum, & forfices exerens se accingit ad opus.*

AGATHOCLEM salvere, & operâ meâ opus habere gaudeo.

DIAPH.

Ingredere istud conclave, Agathocles; & vestem istam exue, ut corporis habitum metiatur Himaturgus, & ad illius modulos vestimenta concinnet nova.

AGATH. *flens abscedit.*

Hei mihi tam citò?

DIAPH.

Quid fles? quid refugis? non te pudet tui? absterge lacrymas.

AGATH.

Hei mihi, hi! hoi!

DIAPH.

Ne metue. Nihil tibi ex istâ venustate corporis cultus ille novus detrahet. Annon ita censes, Himaturge? *oculorum nictibus Himaturgum admonet ut sibi consentiat.*

HYM.

Ita prorſùs veſtis decet omnis, dum ſit decenter concinnata, & geratur, ut decet.

DIAPH.

Neque verò tu illos imitaberis antiqui moris viros, in veſtitu ſimplices, & horridulos. Politiorum, qui hodie multi ſunt, morum ſectaberis elegantiam. Tibique Himaturgus hac in re egregiam, ut ſolet, operam dabit.

HIM.

Faciam herclè, ut de veſtium venuſtate cum ipſis troſſulis facilè poſſis contendere. Talaris equidem habenda tibi eſt tunica, ſed raros in uſus, quam ſemel in anno, biſve ad pompam circumferas. Cæterò tibi veſtis induetur brevior, pulla, ſed munda, concinna, quæ non manicas protendat anguſtiores vaginarum in morem, ſed laxas revocet à pugno in brachium, & reſupinet ornatûs gratiâ; quæ non à ſummo ad imum aſtringatur tota globulis, & velut arca rite occludatur, ſed hiulca ſit circa pectus, ut ſubucula ſe nivea effundat ad elegantiam. Accedet, non amplum & grave, ſed ſtrictum & leve palliolum, à pectore in humeros rejectum commodè, & à tergo decenter pendulum. Petaſus imponetur capiti molliculus, nitidus; non fuſis in orbem alis vel ignavè pendentibus;

sed anteriore alâ subrectâ, & egregiè audaci. Linteolum è collo in summum pectus modicè defluet bifidum, tenuissimo filo contextum, pellucidum, & pulere rigidum.

D I A P H.

Hæc te profectò decebunt omnia mirificè.

A G A T H.

Me decent mori?

H I M.

His vestium elegantiis addes quod vulgò additur munditiarum genus multiplex. Capillos pectes atomos multa coles arte, consperges cyprio pulvere, unguentis illines, pectendo finges, & a temporibus docebis paullum recedere, ut auriculæ pateant mollicellæ, rubicundulæ; si crines culturæ sint minùs patientes, comam adsciscès flavam, citream, crispatam, brevem & ab ipsâ brevitate concinnam magis.

D I A P H.

Audis?

A G A T H.

Nihil audio.

H I M.

Id sanè multorum est mos quibus vestes conficio, qui in toto corporis cultu scio ipsis diligentiores puellis, atque haud scio an elegantiores.

DIAPH.

Here, mihi opus ſit maximè illius operâ & manu. Veſtis hæc cernis quàm depilata ſit & attrita. Novam itaque. . . .

THEM.

Iſthuc omitte. Age tu, Agathocles, ubinam frater?

AGATH.

Frater! eſt domi . . . aut.

THEM.

Aut?

AGATH.

Aut, ubi ſit neſcio.

THEM.

Etiam diſſimulas, perfide. At niſi ultro indicaveris ocyùs quomodo, vel quà fugerit, ego te cogam invitum eloqui.

AGATH.

Fugit frater.

DIAPH. *à parte.*

Euge, Diaphànes, nova tibi paratur ambulatio.

THEM.

Ut ſtuporem ſimulat! hoc ignorabas ſcilicet: neque, cùm te vocari juſſi; cùm ille te alloqueretur, verbum de fugâ fecit ullum?

AGATH.

Ah! redit in mentem hodie quod dixit mihi, cùm nos de amplexando vitæ genere allocutus è conclavi tuo ambos unà demiſiſſi.

THEM.

Quid illud est?

AGATH.

Invitum si quid cogeres facere aut pati, aliquod remedium dixit se quæsiturum malo. Sed de meditatâ fugâ nullum prorsùs verbum fecit mihi.

THEM.

Sic me deserat natus! sic arripiat fugam; neque quò vel quà fugerit, scire liceat!

DIAPH.

Ibo, here, & inquiram oculis, linguâ, pedibus.

AGATH.

Pater, me quoque fratri investigando studium & operam dare sine.

THEM.

Veto. Itane filium? . . .

AGATH.

Permitte, obsecro.

THEM.

Nolo. Tu modò istum Theobuli librum, quo mala inserta fuit epistola, refer in conclave, & domi te contine.

AGATH.

Vah! scelestum librum, & qui te ad nos detulit, longè scelestiorem virum.

SCENA XXI.

THEMISTUS.

AT nonne indicium viæ vel loci aliquod dabit charta index fugæ. Legenda iterum eſt.

Parce queri, genitor, natumque vocare rebellem:
Imperiis tandem paruit ille tuis.

Non hoc imperavi.

Juſſa fuga eſt; fugimus. Tibi nato dulce carere eſt:

Scilicet! *ex oculis lacrymæ proſiliunt.*

Te contrà nobis triſte carere, pater.
Sed modò ſis felix, non jam miſer eſſe recuſo.
Dum me fata prement aſpera, vive, vale.

Vivere me & valere jubet, dum enecat crudelis. Nihil omninò indicat, quo ſciam, ipſum quà debeam perſequi. Ibo tamen, & illum perquiram quem perdidi miſer.



SCENA XXII.

THEMISTUS, PHILOCLES.

PHIL.

QUò pergis, frater?

THEM.

Antinoum quæro, Antinous fugit.

PHIL.

Ecquæ causa fugiendi fuit?

THEM.

Illum inire magistratum jussi, parere jussis renuit. Fugere imperavi, nempè conspectus meos; at ille se paternâ proripuit domo, & fugit. *Lacrymatur.*

PHIL.

Factum malè. Paterna debuit meliùs interpretari jussa. At neque tu imperasti rectè. Non debuisti filium pro imperio adigere ad exosum vitæ genus.

THEM.

Fateor; at imperandi auctor ipse Theobulus fuit.

PHIL.

En adeò quò te præclara Theobuli consilia perduxerunt.

THEM.

Illum accusare parce: est ille vir eruditus; & pius.

PHIL.

Illum excusare perge: est ille vir pius & eruditus, qui patrem paterno jure abuti jubet, qui te ludit, fallit, &. . . .

THEM.

Theobulum omitte precor; & me si quid in consequendo nato per te vel per tuos adjuvare potes, adjuva.

PHIL.

Possim fortasse reperire ante noctem, & restituere Antinoum tibi; faciam, nisi. . . .

THEM.

Ah! propera, frater, natum reperi, & redde.

PHIL.

Quid natum reddam tibi, quem tu inclementiâ mox iterum abigas domo.

THEM.

Ah! non faciam. Scis me clementem ingenio patrem.

PHIL.

Novi te, novi ingenium; at novi Theobulum quoque: nunquam cessabit ille, dum te consiliis evertat malis; totamque fictâ benevolentiâ pessumdet domum.

THEM.

Fixum, ratumque est, de liberis Theobulo non credam ultra.

SCENA XXIII.

THEMISTUS, PHILOCLES, DIAPHANES.

DIAPH.

Here, misi quaquaversum, qui de Antinoo inquirant, & renuncient.

THEM.

Qui de illo narret, vidisti neminem?

DIAPH.

Theobulum vidi, qui mirum dolet in modum.

THEM.

Vides liberos ille tamen quàm amet meos.

PHIL.

Fingit dolorem, amorem fingit.

DIAPH.

Oh! dolet verè, & verè amat Antinoum propter illam fratris filiam, quam servat domi, quam destinabat Antinoo conjugem.

PHIL.

Quid audio?

THEM.

Quid narras?

DIAPH.

Quod mihi Theobulus significavit non semel, hodieque apertè declaravit.

THEM.

Apagesis, homo mendax, & perjure.

DIAPH.

Ne vivam, si mentiar.

SCENA XXIV.

THEMISTUS, PHILOCLES.

PHIL.

TUNE, frater, cum Theobuli genere nostrum consocies genus?

THEM.

Quid ais? mene putas?

PHIL.

Et hoc me celabas, frater, hanc mihi contumeliam tacitus parabas!

THEM.

Nequaquam certè.

PHIL.

Bene est. Fugiat sanè Antinous, fugiat.

THEM.

At nunquam ego.

PHIL.

Profugum malo, quàm fraudulenti, & sacrilegi affinem viri.

THEM.

Moriar, si quid ego. . . .

PHIL.

Vale, Themiste. Familiæ tuæ causâ volebam bene, & poteram, nunc. . .

THEM.

Consiste, quæso, frater, & audi me.

PHIL.

Nihil audio.

THEM.

O te durum, & me miserum!

PHIL.

Valere te inquam cum tuis liberis jubeo.

THEM.

Frater, obsecro te, hoc crede, nunquam affinitatem ejusmodi destinavi animo, hoc, inquam, crede fratri frater.

PHIL.

Hoc credam si modò qui tibi illusit tam turpiter, adeo fraudulenter, nunquam recipias domi.

THEM.

Nunquam? at. . . .

PHIL.

Quid statuas vide, aut ego. . . .

THEM.

Statuo, quod jubes.

SCENA XXV.

THEMISTUS, PHILOCLES, DIAPHANES.

DIAPH.

HERE, adest Theobulus qui te paucis admonitum velit.

THEM.

Dic abesse me.

PHIL.

Dicat potiùs adesse te.

THEM.

At enim.

PHIL.

Jube, Diaphanes, jube Theobulum ingredi.

THEM.

At vetas illum ne admittam domum.

PHIL.

Volo admittas, ut ejicias.

THEM.

Quid si potiùs . . . absisto.

PHIL.

Resiste. Illum reformidas, credo.

THEM.

Non reformido, sed. . . .

SCENA XXVI.

THEMISTUS, PHILOCLES, THEOBULUS.

THEOB.

REDEO è selectissimo eruditorum hominum cœtu, ubi de tuis virtutibus, Themiste, de tuis quoque, Philocles, dixi plurima, ut debui.

PHIL. *ad fratrem se convertens.*

Multum tibi debet Philocles. Nihil respondes?

THEM.

Bene est, Theobule. Nunc . . . oro te . . . abstine. . . Nam . . . obsecro. . . .

PHIL.

Fratris animum impedit dolor. Fratris ego fungar vices. Dic mihi, amabo te, Theobule; quomodo valet ista fratris tui filia?

THEOB. *attonitus ac propè territus.*

Va . . . valet bene.

PHIL.

Gaudeo. An brevi nubet illa?

THEOB.

Quorsum hoc rogas?

PHIL.

Quia volo intereſſe nuptiali cœnæ.

THEOB.

Neſcio cur? ...

PHIL.

Mene convivam abnuis?

THEOB.

Mene in conviviis putas? ...

PHIL.

Scio te cum ſelectis viris & matronis non ita raro convivari; ſcio te veritatem non ſemper in libris, ſed in cyathis aliquando quærere.

THEOB.

Ego .. Facis injuriam.

PHIL.

De fratris filiâ interrogavi ſatis. Nunc de Hierocryſo. Quomodo valet ſenior ille?

THEOB.

Non malè, credo.

PHIL.

Quanti ſacrum ejus beneficium æſtimas?

THEOB.

Nummos colligit ſupra ter mille annis ſingulis.

PHIL.

Tibi gratulor. Nam dixit mihi modò aliquis vix colligi quingentos ſupra mille nummos.

THEM.

THEM.

Quid ais, frater?

PHIL.

Nihil. Hac in re malim Theobulo, quàm alteri cuipiam credere. Nam est ille harum peritus rerum æstimator. Age verò, Theobule, quanti beneficium istud redemisti? quanti vendis?

THEOB.

Non me nosti, credo. Ignoras qui vir ego sim.

PHIL.

Novi te, Theobule; novi te, & faciam ipse te noveris.

THEOB.

Mene, Themiste, his coram voluisti oneratum probris?

THEM.

Ego... volo... Theobule... nolo... frater....

THEOB.

Hæc audiam, audiente te?

PHIL.

Nihil dum audivisti. Expecta.

THEOB. *abscedens.*

Sentio; tempus est istâ jam excedam domo.

PHIL.

Manedum, jam audies aliquid.

THEOB.

Abeo. Hoc jubes, Themiste?

THEM.

Hoc ego . . . frater jubet . . . & jubeo.

THEOB.

Pareo; & ab hominibus profanis, veritati inimicis, cœlesti doctrinæ infensis me segrego.

PHIL.

Abi, Theobule, cum tuâ pestiferâ doctrinâ, & quos falsâ veritatis specie deludas, quære.

SCENA XXVII.

THEMISTUS, PHILOCLES.

PHIL.

UT me pudet tui, frater! tu coram homine isto trepides, titubes!

THEM.

Illum tandem valere jussi. Tu mihi jam redde natum.

PHIL.

Reddam: sed eâ lege, ut de magistratu nihil jubeas posteà.

THEM.

At natu major est.

PHIL.

Sed abhorret ab illo vitæ genere, neque ad illud à naturâ vel arte factus est. Virtutes habet ille quidem, & magnas, sed non forenses.

THEM.

Ergo quem gero, quem pater & avi gessere, quis magistratum geret?

PHIL.

Geret Agathocles.

THEM.

Quid suades?

PHIL.

E re quod sit tuâ, & illius, & nostrâ.

THEM.

At natu minor est.

PHIL.

An te semper hic error ludet malus? Est natu minor, sed has ad artes natus est magis. Ingenio, studiis, moribus, jam magistratum sapit.

THEM.

Volet ne gerere?

PHIL.

Ne dubita, pondus hoc ultro feret. Si dubitas, experire; animum adolescentuli sedulus explora.

THEM.

Experiar. Sed enim de Antinoo quid fiet?

PHIL.

Quod expediet magis. Quod hujus animus, mores, indoles, ſinent.

THEM.

Quid ſi militiam profiteri velit. Nam hoc illum velle ſuſpicor. An ſinam?

PHIL.

Sines.

THEM.

At.

PHIL.

Quid?

THEM.

Militia.

PHIL.

Militia?

THEM.

Sine re eſt gravis.

PHIL.

Non te gravabit; dives es.

THEM.

Dives equidem fui. Nunc verò ſcis quo fortunæ reciderint meæ.

PHIL.

Et providebitur, providebitur. Agathoclem nunc accerſe; & interroga. Antinoum ego accerſam modò.

THEM.

Non abeſt ergo longiùs?

PHIL.

Adest proximè. Abeuntem retraxi à fugâ, sensimque leniendo verbis in vicinam deduxi domum.

THEM.

Duc me ad illum, duc ocyùs.

PHIL.

Quid ais? an hoc patrem decet?

THEM.

Amantem decént omnia.

PHIL.

Aderit modò. Consiste. E servis mihi jube præstò adesse aliquem.

THEM.

Heus, Diaphanes! ubi es?

DIAPH.

Adsum.

PHIL.

Agathoclem alloquere, frater, dum tibi Antinoum accerso.

THEM.

Alloquar, & nisi tibi molestum est, hunc adducam, & sistam ut ipse possis alloqui.

PHIL.

Nihil mihi molestum est, quod tibi vel tuis liberis opportunum est.



SCENA XXVIII.

PHILOCLES, DIAPHANES.

PHIL.

AUSCULTA, Diaphanes.

DIAPH.

Ah! magno me hodie donasti infortunio.

PHIL.

Ego? quomodo?

DIAPH.

Theobulum abigendo, virum bonum, qui tabacothecam mihi promiserat argenteam. Hon. . . .

PHIL.

Promiserat! non dedisset, crede mihi. Ego non promitto, sed do. Hem accipe. *Dat servo pecuniam.*

DIAPH.

Gratias habeo, vir clarissime. Hic vir, hic est. Vivat Philocles, abeat in malam rem Theobulus cum suis libellis.

PHIL.

Attende modò. Timandrum nosti?

DIAPH.

Qui manet in viciniâ?

PHIL.

Hunc ipsum dico.

DIAPH.

Illum tam novi, quam ego me.

PHIL.

Roga illum meo nomine, ut Antinoum dimittat ad me. Dic Antinoo, ut redeat ocyùs, & securus redeat. Tu ipsum ne desere.

DIAPH.

Illum tibi properè trado; hoc spondeo.

SCENA XXIX.

THEMISTUS, PHILOCLES, AGATHOCLES.

THEM.

PRODI, Agathocles; ego te patruo praesente interrogatum volo.

PHIL.

Accede, Agathocles, accede.

THEM.

Age, nate, nunc animi recessus intimos aperi. Quod vis sectari vitæ genus?

AGATH.

Obtemperare meum est, pater; velle non est meum.

PHIL.

Quid velis aperire tuum eſt; patris eſt expendere an rectè velis.

THEM.

Dic igitur, dic vivendi conditio tibi quæ placeat magis?

AGATH.

Quæ tibi magis placuerit, pater.

PHIL.

Loquere, Agathocles. Dat tibi optionem pater, elige, propone.

THEM.

Tune?... tune velis magiſtratum gerere?

AGATH.

Quid juvet id velle, quod, ſi velim, conſequi non liceat?

THEM.

Licet maximè, ſi lubet, nate.

AGATH.

Hoc mihi ſperare liceat?

THEM.

Licet.

AGATH.

Mihi?

THEM.

Tibi, inquam.

AGATH.

Pater, patrue.

PHIL.

PHIL.

Quid hæres? loquere, ne verere.

AGATH.

Iſtos honores ambire non eſt meum. Hos ambiat frater. Ille naſcendi primum obtinuit gradum: idem primos honorum accipiat gradus.

THEM.

Recuſas ergò?

PHIL.

Quid ultra patrem excrucias morâ? Apertè loquere. Placet tibi vita forenſis, annon?

AGATH.

Quoniam urges, & imperat pater, fatebor; illa vitæ forenſis conditio, quæ placuit patri, placeat & mihi, ſi liceat.

PHIL.

Apertè loqueris. Ego dicam quoque apertè, quod ſæpè audivi ex patre noſtro, quod ex te, frater, quod te, Agathocles, celari eſt nefas: ſuas habet forum moleſtias, ſua faſtidia.

AGATH.

Vincenda ſunt.

PHIL.

Sua pericula.

AGATH.

Declinanda ſunt.

PHIL.

Suos labores.

AGATH.

Ferendi ſunt.

PHIL.

An feres?

AGATH.

Si munus tulero, feram onus; & dignè ut feram, ex tuis virtutibus capiam exemplum, pater.

PHIL.

Audis, frater?

THEM.

Satis patent ſenſus tui, nate. Confide, magiſtratum quem jam multos annos gero, cui gerendo fio impar in dies, hunc geres.

AGATH.

Egone, pater?

THEM.

Quod dictum, hoc faciendum puta.

AGATH.

At frater.



SCENA XXX.

THEMISTUS, PHILOCLES, ANTINOUS, AGATHOCLES, DIAPHANES.

DIAPH.

ADEST proximè Antinous, sed paternos subire conspectus timet.

THEM.

Occurram.

PHIL. *ad Themistum.*

Mane . . . *ad Antinoum.* Ingredere, Antinoe; procede, & à parente optimo veniam pete.

ANT. *accedens vultu mœrenti.*

Pater!

THEM.

Nate.

ANT. *ad genua patris accidens.*

Ignosce.

THEM.

Surge.

ANTIN.

Da veniam, precor.

THEM.

At fugere non debuisti, nate.

ANTIN.

Me fateor reum. Sed imperabas institutum hoc, & vitæ genus, quod ipsâ morte visum est asperius mihi. Animum impotentem cæcus abripuit dolor.

THEM.

Magistratum igitur omninò refugit animus?

ANTIN.

Omnino, pater, pace si liceat tuâ.

THEM.

Neque munus quod gero Agathocli datum invidebis?

ANTIN.

Datum gaudebo.

THEM.

Id animo fixum insidet?

ANTIN.

Ita fixum ut revelli haud posse existimem.

THEM.

Quænam ergo tibi vitæ conditio placet?

ANTIN.

Omnis præter illam forensem, quæcunque placuerit tibi.

THEM.

Vis castra & militiam sequi?

PHIL.

Omitte, ista videbimus postmodum.

ANTIN.

Quodcunque sectabor vitæ genus, in hoc; quantum potero, præstabo me dignum patre, in hoc conabor patriæ vivere & tibi.

THEM.

An verò visam in castris. . . .

PHIL.

Parce, frater, parce plura quærere. Et veniam si annuis, reconciliatæ pignus gratiæ dato. *Antinoum nutu monet, ut iterùm veniam petat.* Tu iterum, Antinoe. . . .

ANTIN.

Pater, iterum precor, ignosce.

THEM.

Ignosco: surge, rue in amplexum patris.

ANTIN.

O pater!

AGATH.

Liceat & mihi.

THEM.

Et tu complexum pete.

ANTIN.

O pater optime!

AGATH.

O pater suavissime!

THEM.

An . . . An . . . lacrymo præ gaudio.

PHIL.

Nunc absistite.

ANTIN. *patrui manum osculans.*

Vive, patrue; & tam esto felix, quàm felices facis.

AGATH.

Patrue, vale; & sic ama, ut amaris.

PHIL.

Virtutem colite; & vos amari credite.



SCENA XXXI. ET ULTIMA.

THEMISTUS, PHILOCLES.

PHIL.

JAMNE vides, frater? Jamne intelligis beatum esse te, quia liberos esse beatos finis?

THEM.

Video, & sentio. *Fratrem cum gaudio amplectitur.* Atenim cur militiam Antinoo, & castrensem vitam proponi vetas? cur de illâ sileri jubes?

PHIL.

Quia Antinous de illâ ipse loquetur satis. Militia id vitæ genus est, quod ultro, si offerant parentes, statim amplecti velint adolescentuli. Placet plerisque licentia, quam in castris putant esse maximam; displicet contra, quæ videtur inesse aliis artibus severitas. Hæc itaque vivendi conditio non temerè, non facilè permittenda est adolescentulis.

THEM.

Tene qui paterfamilias non sis, in re paternâ & familiari tantùm sapere?

PHIL.

In re paternâ si quid sapio, ideò *sapio*, quia non sum pater. Sic enim sumus plerique omnes, desipimus domi, dum sapimus foris. Vale, frater, & hoc memineris non cogendos esse liberos, in deligendo vitæ genere; sed regendos tamen.

THEM.

Meminero, & hoc Deuterophilum, qui filium à solitudine vult abducere, admonebo, ut exemplo resipiscat meo.

Vos, adolescentes, vitæ genus prudenter eligite; electum fortiter suscipite; in suscepto constanter vivite; & bene valete.



PHILEDONUS

SIVE

JUVENIS VOLUPTARIUS

A LIBERIORE VITA

REVOCATUS.

ARGUMENTUM.

PHILEDONUS adolescens missus Lutetiam, ut bonis artibus operam daret, vitæ liberiori se tradiderat. Unus ex sodalibus, quem ipse perdiderat, repentino correptus fuit morbo, quo brevi ad extrema redactus est. Interim Philed. meliora cogitat. Accurrunt amici perfidi qui sana ejus Consilia adhibitis voluptatum lenociniis evertant. At ille, auditâ sodalis morte, amicos voluptarios ac voluptates valere jubet, & se totum virtuti mancipat.

PERSONÆ.

PHILEDONUS, Juvenis voluptarius.
ŒNOPHILUS, } Philedoni contubernales.
CHORŒBUS, }
ARISTOBULUS, Philedoni popularis & amicus.
TRECHEDIPNUS, Parasitus.
POLYDROMUS, Philedoni servus.
CALLODORUS, Pictor.
NUGIPOLA, Librarius.
OXYCRATES, Caupo.
SINAPIUS, Obsonator.
HIPPODAMUS, Auriga.
ERGASTUS, alter servus.

SCENA LUTETIÆ.



PROLOGUE.

L'HOMME est né libre, & dans tout âge,
Veut jouir de sa liberté.
Mais il tombe dans l'esclavage,
S'il se livre à la volupté.



A peine a-t-il rendu les armes
Aux attraits d'un plaisir trompeur ;
Vaincu, captivé par ses charmes,
Il n'est plus maître de son cœur.



EPRIS de l'objet qui l'enflamme,
En proie à de coupables feux,
Sans honte il dégrade son ame
Par des attachemens honteux.

CONTRE lui la raison décide :
Mais il prend pour juges ses sens ;
Et la passion qui le guide
Consacre ses égaremens.



POUR donner & prendre des chaînes
Il sçait les maux qu'il a soufferts ;
Mais en gémissant sur ses peines,
Le lache aime encore ses fers.



D'UN esclavage si funeste
L'homme peut-il trop-tôt sortir ?
Pour appaiser l'ire céleste
Est-il un trop prompt repentir ?



NOUS allons donner en spectacle
D'un Libertin l'heureux retour.
Il faut vaincre plus d'un obstacle
Pour l'exposer dans son vrai jour.

PROLOGUE.

SI l'on entreprend de le peindre,
On doit tempérer la couleur ;
Autrement il ſeroit à craindre
Que l'on n'allarmât la pudeur.



D'UNE converſion ſincére
Quand on veut tracer le tableau ;
Jamais l'amour, jamais ſa mere
Ne doit conduire le pinceau.



ON met ſouvent ſur le théatre
Un libertin voluptueux ;
Mais de ſes plaiſirs idolâtre
Il n'y devient point vertueux.



S'IL nous découvre ſa foibleſſe
Ce n'eſt que pour nous attendrir.
Le trait qui l'a bleſſé, nous bleſſe,
Il ſe perd, & nous fait périr.


PROLOGUE

NOTRE libertin moins coupable
N'allume point des feux ſecrets,
Et ſi nous le rendons aimable,
C'eſt pour faire aimer ſes regrets.



EN vous offrant ce perſonnage,
Quelle eſt notre fin ? divertir ?
Nous cherchons un autre avantage,
Mais c'eſt au Ciel de convertir.





PHILEDONUS
SIVE
JUVENIS VOLUPTARIUS
A LIBERIORE VITA
REVOCATUS.

SCENA PRIMA.

POLYDROMUS, CALLODORUS, SINAPIUS, HIPPODAMUS.

POL. *ingreditur semisopitus, dextrâ comam ascititiam, sinistrâ collare tenens.*

QUIS tam intempestivè pulsat fores? Ah! *oscitatur.* Ita vivam, ut me supplantat somnus: nec possum stare pedibus. *In sedile decidit. Iterum pulsantur fores.* Iterum... eheu! quàm molesta est servitus apud homines adolescentulos, qui suis serviunt cupiditatibus; quorum gratiâ vigilandum de nocte, curren-

dum de die; & adeundi, vel accipiendi voluptatum artifices innumeri, qui ex alienâ insaniâ lucrum faciunt.

CALLOD. *in postscenio, loquens voce acutâ.*
Polydrome, esne intus?

POL. *comam ascititiam & collare eleganter accommodans.*

Non. *Voce acutâ respondens.*

SINAP. *in postscenio, loquens voce graviori.*
Polydrome, an vigilas?

POL. *Eâdem voce Sinapium imitans.*

Non.

HIPPOD. *in postscenio, loquens voce infimâ.*
Polydrome, an dormis?

POL. *eâdem voce.*

Non. Qualis vocum concentus? *aperit.* Qui vos igitur tam importunè? aut quid rei nobiscum?

CALLOD.

Non tu pictorem agnoscis Callodorum, ad quem heri venisti, ut imaginem Philedoni pingerem, quam ipse nobili cuipiam fœminæ dono mitteret.

POL.

Ingredere, Callodore pictor, & quoniam stultè nosmetipsos amare satis non est, doce nos in nostris placere imaginibus, & amare vel amari perditè.

SINAP.

SINAP.

Tun' me ſat noſti, Polydrome.

POL.

Novi te, Sinapi, & tuos epulares apparatùs veneniferos novi, quibus noſtram famem & ſitim provocare ſoles & accendere. Quid petis?

SINAP.

Quæro num vobis adfutura ſit hodie ad cœnam aliqua delicatioris palati fœmina, cujus gratiâ geniales epulæ ſint inſtituendæ.

POL.

Si genialiter epulandum erit, ſcies, abſcede.

HIPPOD.

Salvus ſis, ſervorum dulciſſime.

POL.

Vale ſis, aurigarum duriſſime.

HIPPOD.

At priùs ave dicas, quàm vale. Nondum audiſti quid afferam, & offeram.

POL.

Dic cito quid afferas, quid offeras, tum aufer te.

HIPPOD.

Admonitum venio celebrandam nocte proximâ in ſuburbio remotiſſimo choræam omnium celeberrimam. Vobis rhedam in totam noctem maturè offero, ne tu ſeriùs à me requiras.

POL.

Ne requiram seriùs! quasi verò herus meus cum voluptate trahitur, curru indigeat ad currendum; neque illuc manibus feratur & pedibus: sed abi; si rhedâ opus fuerit ad vagandum noctu, ad te ibo.

HIPPOD.

Dum tuus saltabit herus, nos unà compotabimus. Hem! audis?

POL.

Quin tu audis quod dico, & abis? Nemone succedit præterea, qui ad perdendum heri mei corpus & animam, se hortatorem voluptatis & administrum offerat? nam præter id genus homines neminem hæc recipit domus. Nunc ad te redeo, Callodore; & viso num herus pingendum se tibi dare possit, aut velit.

CALLOD.

Quidni velit aut possit?

POL.

Quia multùm noctu ambulavit more suo, & hodie manè præter morem sæpiùs evigilavit. Videndum itaque an tibi adesse possit sine suo incommodo.

CALLOD.

Ocyùs vide quæso, & renuncia.

POL.

Videbo, & ocyùs renunciabo; at ipse sui nuncius advenit Philedonus, & se tibi pingendum exhibet!

CALLOD.

Cum libro? an ſic pingendus eſt?

POL.

Non librum, ſed ſpeculum in ejus manum ingeres. Sic ſolet; ſic decet: ſic illum pinges.

SCENA II.

PHILEDONUS, CALLODORUS, POLYDROMUS.

PHIL.

THEATRUM ingreditur librum manu tenens, toto oris habitu animi anxietatem præferens, ac ſtatim quaſi abiturus retrogreditur.

POL.

Quò te tam citò refers, here? Pictorem illic non vides, quem heri per me advocaſti?

PHIL.

A me vel per te advocatum non memineram.

CALLOD.

Heri adeſſe tibi non potui, quod totus eſſem in abſolvendâ imagine nobilis fœminæ, quæ opus vehementer urgebat. Sed dum illi darem operam, tibi quoque, ut opinor, dabam. Nam illa imago ad te, credò, mitten-

da hodie est. Nunc tibi mea præsto est manus, & industria. Illic sede, & mihi te talem exhibe, qualem te pingi velis.

PHIL. *sedet in cathedrâ quam affert servus, pictor quoque in conspectu Philedoni assidet.*

Pingi equidem volueram, & imaginem sibi meam poposcerat fœmina quædam nobilis, quæ me in choræâ nocturnâ saltantem nuper viderat; sed vereor ut sim hodie pingi idoneus.

CALLOD.

Idoneus es maximè, si otium est... caput ad dignitatem erige.

PHIL. *Anxius, & vultu inquieto.*

Mihi propter vigiliam matutinam concidit facies.

CALLOD.

Imo stat solida, & succi plena... vultum ad hilaritatem compone.

PHIL.

Emarcuit, credo, genarum color.

CALLOD.

Colore suo nitent genæ. In me oculos intende.

PHIL.

Oculi elanguerunt.

CALLOD.

Ardent & micant.... Consiste igitur, quæso, & certum vultûs habitum indue, ut te possim certò pingere.

PHIL. *surgit & in angulum secedit.*

Aliàs me tibi fortè pingendum dabo. Nunc omitte me, & vale.

CALLOD. *ad Polydromum.*

Nihil ergò isthic operis à me hodie fiet ?

POLYD.

Nihil. Nisi me pingere forsitan velis.

CALLOD.

Egregium sanè os, & picturâ dignum.

POLYD.

Tam hercle dignum, quàm tuus iste vultus tristis, famelicus, & pictore dignus.

SCENA III.

PHILEDONUS, POLYDROMUS.

POLYD.

Here . . . an obsurduit ? . . . an obmutuit ? . . . here . . . non mihi respondes ?

PHIL.

Quid quæris ?

POL.

Quæ te mala mordeat solicitudo, & animum tibi surripiat tuum; id quæro. Nam apud te non es; aut alius omninò es, quàm

fuisti antea. Pingi te volebas; venit pictor; illum abigis. Ægritudinem aiebas excludendam prorsùs, solam voluptatem animo admittendam; nunc mutatâ vice, istam toto excludis pectore, illam penitus admittis. Quin age redde te tandem tibi, & qualis fuisti priùs, esto nunc quoque hilarus, festivus, jocorum & lætitiæ plenus.

PHIL. *risu amarulento servum excipiens.* Ha, ha, ridiculum caput!

POLYD.

Ride igitur, si sum ridiculus.

PHIL.

He, he!

POLYD.

Frustra risum simulas: mœrorem celat iste risus, & celando prodit; ac mihi propè lacrymas elicit. *Philed. solicitudinem præ se fert.* Etiam aliud agis ..., animus tuus peregrè est, & nescio quò vagatur.

PHIL.

Erastus quomodo valet hodie? túne ad illum ivisti?

POLYD.

Nondum, sed de illo quietus esto.

PHIL.

Piget me ab octo diebus, ex quo decubuit juvenis miser, ad illum ivisse tantùm semel. Oportet illum adeam.

POLYD.

Quid tu hominem adeas, qui te non agnoscet; qui se ipse non novit.

PHIL.

Illa me causa, fateor, retardavit quominùs ad ipsum irem sæpiùs. Nam amicum & sodalem postquam vidi tam alienatum mente, tam impotentem sui, illum adire timui, cujus conspectum non possem his sustinere oculis. Et tamen habet se pessimè, & morbus ingravescit in dies.

POLYD.

Quomodo se habeat scio. Tu me ad illum mittis quotidie; & quotidie inquiro. Ægrotat ille quidem, & insanissimè delirat; sed ista insania, istud delirium morbus est solemnis juvenum; mox residet iste fervor sanguinis; & Erastum videbis sibi redditum & tibi.

PHIL.

Utinam quidem! utinam! sed.... ha!

POLYD.

Sed vide tu ne mœrore quoque insanias; Nam....



SCENA IV.

NUGIPOLA, PHILEDONUS, POLYDROMUS.

NUG.

SINE, obſecro, Philedone, ut iſtum inſpiciam librum, & videam numquid à me peccatum ſit incogitante & inſcio. *Legit. Tractatus Philoſophicus & Chriſtianus de immortalitate animæ.* Ita eſt, errorem agnoſco.

PHIL.

Ecquid erroris eſt, Nugipola?

NUG.

Dicam. Librum hunc alterum cape.

PHIL. *legit.*

Tractatus Philoſophicus & Epicureus de voluptate animi & corporis.

NUG.

Heri forte accidit ut à me eodem horæ momento duo poſcerentur libri, alter tibi, alter viro cuipiam aulico, ſed pio; facetus alter & animo recreando idoneus; alter ſeverus & ad morum ſeveritatem accommodatus. Utrumque depromo; chartâ involvo; ſigillo munio; & inſcribo. Sed inter ſcribendum

errat

errat manus; & tractatum Epicureum viro pio, Christianum inscribit tibi.

POLYD.

Apage te cum isto errore tuo, qui molestiam nobis creavit pessimam.

NUG.

Erratum à me graviter non inficior; sed errorem ut agnosco, protinùs emendo.

PHIL.

Erratum est leviter. Istumque adeo tractatum *De immortalitate animæ* mihi restituas volo; ipsum juverit perlegere.

POL.

Quin potius istum legis alterum qui facetus est, qui magis convenit?

PHIL.

Hunc defer in conclave; legam cum animo libuerit.

NUG.

Veniam dabis, Philedone, quòd imprudenter librum minùs idoneum ad te miserim.

PHIL.

Do veniam, & cum voles, dabo pecuniam.

NUG.

Nolo quicquam à te dari pecuniæ, donec culpam in te admissam redemerim submissis ad te libellis aliquot recentioribus, quos ex Bataviâ expecto, lepidissimis. Tu illos admittes ultro?

PHIL.

Admittam.

NUC.

Valere te, Philedone, & delicias nostras semper amare percupio.

SCENA V.

PHILEDONUS *solus*.

PHIL. *mensæ assidens meditanti similis.*

AD legendum nos referamus. *Argumentum tertium. Probatur immortalitas animæ ex ipso animi sensu intimo, & ejus conscientiâ.* Hac de re quomodo disserat hujus libri auctor, nescio; sed rem ipsam jam sentio. Argumenta quæ priùs legi, vel petita ab hominum consensu, vel deducta ex ratiocinandi facultate, quæ homini indita est, valida sunt illa quidem, & immortalitatem animæ validè probant. Sed hoc ipse satis probat intimus animi sensus; & tacita ejus conscientia. Illud enim desiderium, ille motus, ille impetus animæ sponte suâ ad æterna assurgentis, aliquid æternum esse, & ipsam æternam esse indicat, & declarat; neque illa vox naturæ falsa esse potest; neque illud oraculum ambiguum est. Hanc equidem volui comprimere vocem, hoc refellere oraculum, hoc

tante libidine; quæ animam, quia mortis ream facit, ipſam eſſe mortalem velit. Sed fruſtra; uſque ſe immortalem eſſe clamavit anima; & huic clamori aſſenſit animi conſcientia. Atqui tamen ſic vixi, ô pudor! *vultum præ pudore manibus obtegit.* Ita egi, quaſi anima cum ipſo corpore eſſet interitura; & hac doctrinâ Eraſtum imbui; & hanc animo combibit incautus adoleſcens; & illam expreſſit moribus; & inde in morbum, & ex morbo in vitæ diſcrimen incidit: hei mihi! ſi nunc illum, ut ſeſe habet, mors opprimat; de illo quid fiet? Quònam ejus anima, illa immortalis anima, quam mortalem potuit mecum dicere, mortalem dicendo facere non potuit. Quònam illa? . . . væ illi . . . væ mihi . . . *Hæret aliquandiu meditans.* . . .

SCENA VI.

POLYDROMUS, PHILEDONUS.

POL.

AN dormit herus, qui ſic caput inclinat, & cubito innixus ſedet? ita . . . non . . . fortaſſe . . . neutiquam. Here, tractatum illum philoſophicum de voluptate animi & corporis detuli in conclave, ut imperaſti.

PHIL.

Factum probè.

POL.

Aliquid ex eo delibavi oculis. Mihi sapit maximè. De voluptate gulæ philosophatur egregiè; ac me, quod vix credas, prope jam Philosophum fecit.

PHIL.

Credo.

POL.

Inde me in culinam conjeci, ut ibi de philosophiâ istâ, cum ipso Culinæ magistro disputarem. Ille non verbis, sed experimentis eâ de re agendum esse pronunciavit. Quid tu censes?

PHIL.

Rectè.

POL.

Jubebo itaque ut aliquid cibi delicatioris tibi apparet, quo experimentum fiat.

PHIL. *oculos modò in librum conjiciens, modò anxiè aliò detorquens.*

Nolo.

POL.

At hercle te non satis est animum lectione pascere, corpus ipsum cibo reficias oportet.

PHIL.

Non esurio.

POL.

Saltem potionis aliquid sorbillare potes.

PHIL.

Non sitio.

POL.

Ahy! ... serò oblectandus erit animus aliquo spectaculo; heri Comœdiæ Gallicæ interfuisti, nudius tertius Italicæ. Utri hodie interesse statuisti?

PHIL.

Neutri.

POL.

Dabis igitur oculos & aures operi musico?

PHIL.

Haud scio.

POL.

Ibis ergo in eos deambulatum hortos, què virorum fœminarumque elegantiorum concursus fit & occursus; ubi dum spiratur aura liberior, habentur quoque sermones de quolibet argumento liberiores.

PHIL.

Haud puto.

POL.

Nocte proximâ celebrabitur choræa splendido apparatu, frequentissimo juvenum puellarumque conventu. Aderis certè; neque tam dulci spectaculo genium fraudare velis.

PHIL.

Forsitan.

POL.

Forsitan . . . haud puto . . . haud scio. Hui! quàm verborum hodie parcus es! qui antea jocorum tam fuisti prodigus.

PHIL.

Ah!

POL.

Etiam gemis. Quid dissimulas? loquere apertè. An ægrotas?

PHIL.

Non.

POL.

Quid igitur cessas? quin te oblectas de more? quin cantitas? la, la, la. Quin saltas? *pedes movet in numerum.* Quin exis domo? quin festiviores consectaris circulos? immotus hæres? at longe hercle . . . quò te recipis?

PHIL.

In conclave me recipio. Ad me nemini accessum dato.

SCENA VII.

POLYDROMUS.

ITA me servent Superi! ut quid velit herus, quid nolit, quid ipsi doleat, quid non doleat nequeo intelligere. Verè profectò illud

aiunt ægritudinem animi multò, quàm ægrotationem corporis molestiorem esse, & curatu difficiliorem. Qui enim ægrotat corpore, is saltem queritur, auxilium petit, & petendo remedium qualecunque accipit. At verò qui æger est animo, dum tacet, & lucem fugit, is morbum alit, & occulto morbo denique contabescit. Quærendum tamen est aliquod hero remedium; & hic vel invitus ad lætitiam mihi revocandus est. Nam ipsum malo vel ambulatorem perpetuum (licet me ambulando plurimùm exerceat) quam sessorem in ædibus tristem, & morosum. Quis ille foribus succedit? Parasitus noster Trechedipnus. Homo famelicus qui, quò plus comedit, hoc magis esurit; qui pinguia convivia semper appetit, & nunquam ipse pinguescit. Ille nostrâ sæpè utitur mensâ; ejus operâ, quoniam opus est, atque consilio utamur.

SCENA VIII.

TRECHEDIPNUS, POLYDROMUS.

TRECH.

ME tibi, Polydrome, & hero tuo excusatum venio, quòd à mensâ vestrâ totos abfuerim quatuor dies.

POL.

Jam te excusatum habemus, Trechedipne, alibi nempe tibi parata fuit cœna.

TRECH.

Ita me multi sibi convivam expetunt, ut nequeam omnibus satisfacere. Sed me vobis restituo; vobis hodie ad cœnam adero. Hoc Philedono, si modò est intùs, denuncio.

POL.

Illum adeas cave. Neminem admittit ad colloquium; utrum admissurus sit ad convivium dubito.

TRECH.

Quorsum? amabo.

POL.

Nescio quæ illum vexent intemperiæ. Sed risus fugit ab ejus labris, jocus à colloquiis; etiamnum ridet aliquando quidem, sed quasi non rideat; ita jocatur, quomodo si jocorum pœniteat.

TRECH.

Mira de Philedono memoras.

POL.

Et miseranda, is adeo miserè totâ nocte, postquam domum se recepit, & toto mane hodie jactatus est. Vixque impetrare potui, ut se lecto demum, somnoque permitteret. Neque longa fuit dormitio. Stratis exiluit repentè, quasi aliquo territus spectro, quod in somnis viderit.

TRECH.

Spectro territus scilicet, qui nullos spiritus à corpore secretos credit.

POL.

Quid credat, quid neget non disputo. At illum certè vidi territum hodie & aliàs non semel; & qui cæteris pavorem exprobrat, ipse levi sæpe de causâ pavet præter cæteros. Sed ejus pavores omitto. De solicitudine loquor, quâ factum est, ut excussus sit somno, diuque vigilaverit, modò librum legens, modò illum deponens; mox ad eum revolans, interdum meditanti similis, aliquando suspirans, nunquam animo vel corpore conquiescens.

TRECH.

Nam quæ causa tantæ, tam insolitæ sollicitudinis esse potest? an illum premit rei nummariæ angustia?

POL.

Neutiquam: à matre quamvis longiùs absente defluit pecunia suis temporibus largiter.

TRECH.

Neque in destinato voluptatum cursu ventum aliquem adversum expertus est.

POL.

Imo in consequendo quidquid appetit, vento utitur nimium secundo.

TRECH.

Quid ergo causæ aliud esse arbitrer? . . . nihilne tu suspicaris?

POL.

Duo quidem suspicor, quæ animum ejus torqueant; & morbum Erasti de cujus vitâ extimescit; & librum pium qui errore Bibliopolæ in ejus manus forte incidit.

TRECH.

Veras attigisti causas. Erastum amat, Erasto timet: librum legit pium; liber ille animo scrupulos injecit. Utrique malo medendum est, & providendum ne Philedonus præter ætatem sapere velit, & severioris vitæ aliquod inire consilium.

POL.

Hoc igitur provide cito; nam si quid secum Philedonus de mutandâ ratione vitæ constituerit, in proposito manebit. Novi ejus ingenium. In re gravi hæret aliquandiu; dubitat; deliberat: ubi deliberavit, obfirmat animum; perstat in sententiâ; viam quam instituit, persequitur; neque se revocari patitur.

TRECH.

Ingenium ejus optimè nosti. Mihi semper visus est propositi tenax.

POL.

Omnino. Ideoque vereor ne frustra ipsum revocare velis aut retinere. Nam oblecta-

menta quæ priùs expetebat, jam videtur ſpernere.

TRECH.

Quoniam adhuc ſolicitus animo eſt, nihil dum conſilii cepit. Conſilium vitæ certum omnem excludit animi fluctuationem. Rem itaque ſolerter & properè aggrediamur. Tu librum amovebis, qui Philedoni animum ſcrupulis pupugit, hoc primum.

POL.

Iſtud quidem conabor exequi.

TRECH.

Videbis deinde, ut nihil Philedonus triſte inaudiat de Eraſti valetudine, donec amicus ille vel convaluerit penitus, vel è medio exceſſerit.

POL.

At ſi mortem obeat Eraſtus, mors ejus celari diu non poteſt, qui in vico proximo habitat; qui nobis planè vicinus eſt.

TRECH.

Dum mors ejus vel unum diem celari poſſit (& verò poteſt) id nobis ſatis eſt; cum amici, id eſt voluptatum ſocii ægrotant, ex eorum dolore aliquid vulgò doloris cœpimus; ubi mortui ſunt, & nihil dolent, tum nihil ipſi quoque dolemus. Ità plerumque fit. In hoc igitur diligens eſto ut herum tuum falſis de amico deludas nunciis.

POL.

Si mendaciis res agitur, rem agam strenuè.

TRECH.

Illæ tuæ erunt partes. Ego Philedonum variis oblectationibus diu noctuque sic tibi exercitum & occupatum dabo, ut animus voluptate plenus nihil ægritudinis possit admittere. Hoc ei remedium paro. Nunc mihi adjutoribus opus est. Ubinam contubernales vestri Œnophilus & Chorœbus.

POL.

Alterum in cauponâ proximâ, cum robustis potoribus, alterum in Caffæariâ popinâ è regione cauponæ cum musicis & saltatoribus invenies.

TRECH.

Ambo mihi adeundi sunt, & in consilium advocandi. Tu mandata perfice.

SCENA IX.

POLYDROMUS.

DUo in mandatis habeo: ut mentiar & furer. Alterum erit facile. Cum me mittet herus interrogatum de Erasto, ire me fin-

gam, aliò divertam, mox redibo, & læta omnia nunciabo.... Alterum incumbit difficilius. Librum illum suffurari pium. Id verò clam & tacitè datâ occasione tentandum est. Ibo, & quanquam in arte furandi sum planè rudis, nam ad artem suam ne me erudiret pater, morte immaturâ prohibitus est; ah! *Suspirat ex patris desiderio immaturâ morte peremptì.* Ibo, & rem furtim ac furaciter hodie tentabo ... *Procedit lentè sine strepitu* ... Occurrit herus, & librum ipsum habet in manibus. Res omnino tentari nequit.

SCENA X.

PHILEDONUS, POLYDROMUS.

PHIL.

I, Polydrome, citò; propera ad Erastum; & de illo quantocyùs refer.

POL. *it ac statim redit.*

Eo, & refero. Quid si autem librum istum quem jam evolvisti plus satis, ad Erastum nomine tuo deferam, quomodo alios detuli multos, ut hunc legat, cum primum legere poterit. Numquid hoc ipsi munus jucundum fore putas?

PHIL.

Defer sanè meo nomine si nomen meum in ejus auribus sonare etiamnum potest, & librum hunc præ cæteris legat, ubi quid legere valendo sinet.

POL. *à parte.*

Ah! libelle, tristis, moleste, insuavis libelle! faciam edepol ne in heriles manus unquam redeas.

PHIL.

Hei! quàm vereor, ne quid servus ab Erasto nuncii reportet mali. O Eraste! miser Eraste!... heu! sortem juvenis acerbam!... Quod si mors illum eripiet mihi, quid agam certum, deliberatum, & constitutum est; vobis, voluptates perfidæ, quæ amicum tam citò profligastis, dicam æternum vale... Durum erit, fateor, carere voluptatibus quæ vel necando placent. At valeant tamen. Illis carere satius est, quàm per illas perire... Ridebunt me, credo equidem, sodales protervi; & me stolidum, imbecillum, falsò vel intempestivè pium appellabunt: at rideant sanè; præstat rideri ab insipientibus, quàm à sapientibus lugeri.... Erunt quoque amici crudeliter misericordes, qui me ad insaniam velint revocare; & vitam juveni sine voluptate esse vitalem negent... Sed facessant procul; nisi qui me sobrium & castum

amabit, mihi amicum reputabo neminem: &, quæ vita hominem mortis æternæ reum deceat, mecum assiduè cogitabo. *Sedet altùm cogitans.*

SCENA XI.

CHORŒBUS, PHILEDONUS.

CHOR. *à parte.*

EHO! qualis mihi offertur Philedonus! ut cessat! ut sedet! ut suspirat! vera de illo Trechedipnus memoravit. Ægrotat hic animo certe; huic medicinam adhibeamus ... *altâ voce:* Quid tecum isthic meditaris, Philedone? dum te Cassœaria expectat sodalitas, & morantem increpat? veni, advola.

PHIL.

Excusatum me habeat ista tua sodalitas, Chorœbe: huic interesse hodie non possum.

CHOR.

Quid vetat?

PHIL.

Non vacat.

CHOR.

Hoc est, non juvat. Amicum & contubernalem contubernali & amico liceatne admonere paucis?

PHIL.

Licet admonere pluribus, si lubet.

CHOR.

Admoneo igitur, & oro, ne quid isto ætatis flore, istâ ingenii festivitate indignum facias, vel cogites.

PHIL.

Nequid me indignum faciam! *quomodo?*

CHOR.

Illam fovendo animi ægritudinem quæ te coquit; & austerioris vitæ consilium agitando, quod neque recipiat ætas, neque patiatur indoles.

PHIL.

Ergone vel meam vel cujusquam ætatem & indolem virtuti inhabilem putas?

CHOR.

Non hoc puto. Sed non virtus omnis ætati omni congruit.

PHIL.

Non hoc nego. Sed neque vitium ullum ætati ulli convenire arbitror.

CHOR.

Rectè. Neque verò juvenem decet infamari vitiis; & digito monstrari ut vappam aut nebulonem; sed ipsum nil vetat iis uti voluptatibus, quas fert natura, suadet indoles, excusat ætas, & ipsa probat consuetudo.

PHIL.

Quid? iis quoque uti voluptatibus, quas fert natura corrupta; suadet indoles prava; excusat ætas inconsulta, probat consuetudo mala; vetat autem castus pudor; damnat sancta lex, & prohibet sana ratio.

CHOR.

Sana ratio non prohibet, imo jubet iis frui oblectationibus quas affert tempus, & locus offert. Nam, ut aiunt, desipere in loco & tempore sapere est.

PHIL.

Nullum insaniendi tempus est, nullus locus. Iis autem frui oblectationibus quas amaris & forsitan æternis luctibus expendas; quas totâ vitâ incertus sis an rite expiaveris, non sapientia, sed insania, sed dementia, sed furor est.

CHOR.

Miror unde tibi ista morum doctrina, quam ex te hodie primum audio.

PHIL.

Quod illam ex me hodie primum audias, doleo.

CHOR.

Aliam profecto ex te sæpius audivi.

PHIL.

Quod aliam ex me audieris, erubesco.

CHOR.

Sentio te purgi & angi scrupulis. Hospiti novo, qui tibi advenit, curandum te & sanandum relinquo. . . . . *à parte & secedens.* Haud sanè leviter ægrotat Philedonus. Huic medicina facienda est non levis.

SCENA XII.

ARISTOBULUS, PHILEDONUS.

ARIST.

SALUTEM tibi, Philedone, & meis, & optimæ parentis tuæ verbis plurimam affero.

PHIL.

Aristobulum popularem & amicum è longinquo salvum mihi advenire plurimùm gaudeo. Ut valet autem mea illa mater suavissima?

ARIST.

Valet benè, & multò valeret meliùs, si te valere ex tuis litteris cognosceret: nam quod tamdiu rescribas nihil; hoc illa angitur miserè & cruciatur. Vix credas, eâ re super, quæ sibi monstra fingat.

PHIL.

Quæ monstra?

ARIST.

Vana.

PHIL.

Quænam autem?

ARIST.

Somnia inquam.

PHIL.

Narra tamen.

ARIST.

Timet illa (quod fieri non poteſt) ne te ſui capiat oblivio; ne maternum amorem in tuo extinguat pectore amor aliquis peregrinus.

PHIL.

Hoc illa timet?

ARIST.

Timet quidem, & ſuos mihi timores ſæpe ſignificavit; ſed illos acriter impugnavi.

PHIL.

Illam amo certè; atque ut merita eſt, eximiè diligo.

ARIST.

Ita credo. Teque, qualem vidi olim, pium, temperantem, caſtum, nunc etiam eſſe, & deinde fore perſuaſum habeo.

PHIL.

Illud confitendum eſt, multos ineſſe hac in urbe virtutis ſcopulos, quibus juvenes incautos allidi & frangi facile eſt.

ARIST.

Incautis juvenibus, & parum salutis suæ providis scopuli sunt ubique obvii, & objecti: sed declinari possunt, si cursum rectè dirigas; si non quà itur, sed quà sit eundum, diligenter consideres: inprimis verò si comites itineris adhibeas probos duntaxat, & sobrios. Sic enim facilè cursum vel media inter saxa obtinebis longè secundissimum.

SCENA XIII.

ŒNOPHILUS, PHILEDONUS, ARISTOBULUS.

ŒNOPH. *ridens, & pede titubanti incedens quasi vino madidus, & perpetuò balbutiens.*

HA, ha, ha. Qui... quid hoc est, contubernalis & conviva noster? Audio te te tristem ac morosum esse. Mi, mi, mitte tristitiam. Imitare me, ha, ha, ha, & amplectere, ut tibi af, af, afferam lætitiam. Ha, ha, ha.

PHIL.

Abstine quæso, & ubi sis, qualis sis, quis adsit, respice.

ŒNOPH.

Qui... qui... quis ille est? ipsum

no . . . no . . . novi, ni fallor. An fallor? no . . . no . . . non fallor. Ariſtobulus eſt mi . . . mi . . . mihi olim cognitus, dum is in legum ſtudio verſaretur; ego in ſtadio Phi . . . Philoſophico excurrerem. No . . . no . . . non tu me agnoſcis?

ARIST.

Quo te magis inſpicio, hoc minùs agnoſco.

ŒNOPH.

No . . . no . . . non tu Œnophilum noſti?

ARIST.

Œnophilum certè novi, juvenem nobilem, & bene moratum.

ŒNOPH.

Ita be . . . bene moratum, hoc eſt no . . . non moroſum. . . . Ille ego ſum. Ipſum me vides.

ARIST.

Ingenuum & liberalem.

ŒNOPH.

Sic eſt li . . . li . . . liberalem, nec avarum. Ille ego ſum, ipſum me vides.

ARIST.

Omninò ſobrium.

ŒNOPH.

So . . . ſo . . . ſobrium omnino, hoc eſt no . . . no . . . non omnino ebrium. Ille ego ſum, ipſum me vides.

ARIST.

Nunc annos natum non amplius viginti duos.

ŒNOPH.

Annos na ... na ... natum. Quot annos? no ... no ... non bene memini. ... Ita na ... natum annos plus, minus, viginti duos ... Ille ego sum; ipsum me vides.

ARIST.

At vultus iste marcidus, & pepulis rubens hominem indicat anno ætatis quadragesimo, quàm vigesimo propiorem.

ŒNOPH.

Fo ... fo ... fortasse quidem. Sed mi ... mi ..., mirari desine. Brevi tempore multùm vixi. Qui, qui, qui enim multum bibit, multum vivit. Qui ... quid vultum avertis, Philedone? no ... no ..., non tu ita sentis, & doces? lo ... loquere igitur. Quid pudet?

PHIL.

Me pudet tui.

ŒNOPH.

Ne, ne, ne pudeat fateri. Et tu mecum sentis, Aristobule ... Bi ... bi ... bibere vivere est.

ARIST.

Vitam ego in sapientiâ positam puto: & is solus meo judicio multum vivit, qui multum sapit.

ŒNOPH.

Oh! ... ſa ... ſa ... ſapio multùm. Atque ſi Philedonum excipias, qui me omnia ſa ... ſa ... ſapore vincit, ne ... ne ... nemo vinum bonum melius ſapit.

PHIL.

Omitte me quæſo, & te ...

ARIST.

Novam prorſus didiciſti ſapientiam, ex quo Philoſophiæ operam in ſcholis dabas.

ŒNOPH.

No ... no ... novam in conviviis Phi ... Phi ... Philoſophiam docuit me Philedonus, vo ... voluptatis magiſter ſa ... ſa ... ſapientiſſimus.

PHIL.

Non tu de me ſilebis?

ŒNOPH.

Ve ... ve ... veteris tamen Phi ... Phi ... Philoſophiæ aliquid retineo ... & admitto horrorem à va ... vacuo. Ego nunquam ſum va ... vacuus.

ARIST.

Multum vacuus eſt, qui ſic plenus eſt.

ŒNOPH.

Va ... va ... vacuus, plenus. Quo, quo, quomodo dicis? qui ... qui vacuus eſt, plenus eſt ... hic diſtinguendum eſt, ... Di ... diſtinguo. Qui, qui vacuus ... ſug-

gere igitur, Philedone. Discipulum tuum ne desere. Sa . . . sa . . . sapientiam tuam defende, si potes.

PHIL.

Abi tu, si quid sapere potes, & crapulam edormi.

ŒNOPH.

Oh! ne . . . neque abeo, ne . . . neque dormio. Vina multiplicis generis expecto, quæ, quæ tibi degustanda exhibeam. Quæ, quæ tibi curam omnem eluant. . . Adest, credo, qui, qui afferat. No . . . no . . . non, sed venit qui nunciet.

SCENA XIV.

POLYDROMUS, ARISTOBULUS, PHILEDONUS, ŒNOPHILUS.

PHIL.

QUID affers, Polydrome?

POL.

Bona verba, here.

ŒNOPH. *servum ad se attrahens.*

Ehodum Po . . . Polydrome, an affertur?

POL.

Quid?

ŒNOPH.

Vinum.

POL.

Quod vinum?

ŒNOPH.

Quo . . . quod imperavi.

POL.

Quid imperaveris, nescio.

PHIL. *servum revocans.*

Quid illi respondes? alloquere me.

ŒNOPH. *servum alliciens.*

Oh mi . . . mihi respondebit . . . no . . . non tu illinc venis?

POL.

Unde?

ŒNOPH.

Ex cauponâ vicinâ, quo . . . quo te subeuntem vidi modò.

POL.

Quid videris modò, quid audiveris, melius memineris precor. Venio ex vicinâ Erasti domo.

ŒNOPH.

Ah! me . . . memini. Tu me mo . . . monueras ut silerem. Ja . . . jam scio. Tu venis ab Erasto. Ego ad cauponem reviso; ut vina nobis pro . . . properè afferat, jubebo: ma ... manete isthic paulùlum. Mo . . . mox ad vos redeo. Ha, ha, ha.

POL.

Vah! quàm miserum est in homines ejusmodi vinolentos, & mediâ luce somniantes incidere.

SCENA XV.

PHILEDONUS, ARISTOBULUS, POLYDROMUS.

PHIL.

MIssum fac Œnophilum; & de Erasto, quod scis, doce me.

POL.

Erasto jam melius fieri cœpit.

PHIL.

Quid ais?

POL.

Jam rediit ad se. Et prope est ut nihil doleat.

PHIL.

Certa loqueris?

POL.

Tam certè, quàm quæ certissima.

PHIL.

O lepidum! ô felicem! ô jucundum mihi nuncium! Aristobule, gratulare mihi, si me amas.

ARIST.

Tecum gaudeo. Tametsi quid gaudeas, haud satis scio.

PHIL.

Amicus mihi carissimus revixit, convaluit. Per te mihi quæso liceat ad illum visere.

POL. *herum continens.*

Nondum licet.

PHIL.

Quidni? quid vetat?

POL.

Quiescit Erastus. Dormit. Cùm visendi tempus erit; ego te monebo. Sine quiescat interim; & tu quiesce.

PHIL. *vinolento servi halitu afflatus.*

Sinam; & quiescam. At Phu...

POL.

Vinum meus fortasse olet spiritus.

PHIL.

Mihi certè totam uno spiritu popinam inhalasti.

POL.

Non ex popinâ tamen afflatur hic odor. Me semel iterumque poculo invitavit Erasti famulus, ut restitutam hero suo valetudinem gratularer. Ego sum obsecutus. Idque tibi non improbatum iri credidi. An improbas?

PHIL.

Laudo. Et mihi quoque cum amicis hodie

gratulari volo. Obſonatorem adito, Polydrome. Ut cœnam nobis ſolito lautiorem apparet, curato.

POL.

Id curabo ſedulò.... Vivant ſervi mendaces.

SCENA XVI.

PHILEDONUS, ARISTOBULUS.

PHIL.

ADERIS mihi ad cœnam, Ariſtobule.

ARIST.

Non equidem hodie. Nam viro mihi & neceſſitudine, & affinitate conjunctiſſimo promiſi. Quis autem Eraſtus ille, quem tibi reſtitutum gaudes? an ille popularis noſter, filius parentum unicus; & in ſpem ampliſſimi patrimonii natus?

PHIL.

Is ipſe eſt; qui ab octo diebus in morbum delapſus eſt graviſſimum, ex quo ipſum tam ſubitò recreatum lætor pariter, & admiror.

ARIST.

Ab ejus patre litteras ad ipſum habeo, quas in ejus manum tradere quamprimùm velim, & de ejus valetudine cognoſcere ut, ſi reſ-

cribere ipse non potest, ejus fungar vice.

PHIL.

Præi. Ad illum te deducam modò. Ille habitat in viciniâ. Ipsum alloquemur si forte evigilavit; sin aliter amicum videbimus saltem; & de illius valetudine, non alienis sermonibus, sed nostris credemus oculis.

SCENA XVII.

ŒNOPHILUS, ARISTOBULUS, PHILEDONUS.

ŒNOPH.

ISTHIC re... re... resistite paululum: mox aderit Oxycrates, qui... qui vina vobis pro... probanda offerat.

PHIL.

Tu illa probato.

ŒNOPH.

Ja... jam probavi.

PHIL.

Tuum de illis judicium esto.

ŒNOPH.

Me... meo igitur stas judicio?

PHIL.

Sto.

ŒNOPH.

Tu... tu... tu quoque, Ariſtobule?

ARIST.

Ego pariter. Quis enim palato non credat tam erudito?

ŒNOPH.

Oh! pa... pa... palatum in ea re ubi audivi plu... plurimo. Audio interdum *in* Amphitheatro, qui... qui audito poëmate tragico vel comico, dicant hoc So... So... Sophoclæum eſt... Iſtud Eu... Euripidæum eſt. Illud Plau... Plautinum eſt. Hoc Te... Terentianum eſt... Ego guſtato vino ſtatim dico, hoc Be... Belnenſe eſt. Iſtud Au... Auvillæum eſt. Illud ſi... ſi... Sillerarium eſt... Hæc doctrina po... po... potior eſt hæc do... doctrina mea eſt. Ha, ha, ha.

SCENA XVIII.

TRECHEDIPNUS, ŒNOPHILUS.

TRECH.

UBINAM Chorœbus? nondum ille ad habendum conſilium venit.

ŒNOPH.

No... no... nondum. Eſt ille ut ju... juniores quipiam in Provinciâ noſtrâ ve...

ye, .. velocissimus ad convivium; ad consilium tardissimus. *Auditur cantus ex postscenio, Œnoph. numeros repetit*, la, la, la. Ausculta, Trechedipne. En tibi adest noster Cho . . . Chorœbus.

SCENA XIX.

CHORŒBUS, TRECHEDIPNUS, ŒNOPHILUS.

CHOR. *ingreditur numeros modulans.*

LA, la, la.

ŒNOPH. *Chorœbum imitans.*

La, la, la. Accede igitur Cho . . . Chorœbe. Et isthic sede. Tu . . . tu illic, Trechedipne. Ego hic, hic sedeo. Nam ut ad bi . . . bibendum, sic ad consulendum se . . . sedere commodius est. Rem pro . . . pro . . . proponite, & consulite. Ego su . . . suffragia colligam.

TRECH.

Res hercle magna in consilium venit.

CHOR.

De sanando Philedoni animo deliberandum scilicet.

TRECH.

Non de ipsâ re, sed de modo agendum est.

ŒNOPH.

Qui . . . quid ais de re, non de modo? non intelligo.

TRECH.

Aio non de re deliberandum esse; hoc est, utrùm ad voluptatem revocandus sit Philedonus. Id enim jam fixum ac deliberatum est.

ŒNOPH.

Si . . . si . . . si jam deliberatum est, de . . . de . . . deliberandum non est. Sed nihil de . . . de . . . deliberatum est.

TRECH.

Annon hoc deliberatum & certum est, non debere Philedonum tam citò à voluptatibus abstrahere se, qui ætate juvenis est?

CHOR.

Haud sanè juvenem decet tam citò sapere.

ŒNOPH.

Ve . . . verissimè. Nam qui, qui juvenes sunt, se . . . senes non sunt.

TRECH.

Qui auro dives est.

CHOR.

Illum profectò divitiis oportet benè & liberaliter uti.

ŒNOPH.

Pla . . . planissime; & quo . . . quoniam aurum no . . . non bibitur; auro id emendum est, quo . . . quod bibatur.

TRECH.

Qui nullo munere vel negotio occupatus est.

CHOR.

Quoniam, nihil habet negotii, huic esto negotium genio indulgere.

ŒNOPH.

Ma . . . maximè. In hanc urbem ad ju . . . jus civile discendum missus equidem est; sed ju . . . jus civile, & Gen . . . Gentium non le . . . legendo, sed bi . . . bibendo more Græco di . . . di . . . discitur.

TRECH.

Itaque de revocando ad voluptatem ægro Philedoni animo deliberandum non est.

CHOR.

Neutiquam.

ŒNOPH.

Mi . . . minimè.

TRECH.

Tota igitur de sanandi ejus animi ratione & modo deliberatio est.

ŒNOPH.

De . . . deliberatio facilis est. Bi . . . bibat, bibat. Hæc ægrotantis animi me . . . me . . . medicina optima est.

TRECH.

Bibat, hoc est in convivio, cum amicis; ubi animum pascat omnibus mensæ deliciis;

ne ipsum mordeant solicitudines, quæ animis jejunis plerumque adhærescunt. Ita, credo, tuum illud bibat intelligis.

ŒNOPH.

Bi . . . bibat in convivio; bi . . . bibat ante convivium; bi . . . bibat post convivium; quo . . . quotiescunque animum cura re . . . re . . . remordebit, bi . . . bibat. *Sic* intelligo, sic facio.

CHOR.

Remedium mulcendis curis uterque offertis eximium; sed non eximendis scrupulis efficax. Adhibeantur oportet mollia Theatri spectacula, ubi animus erudiatur ad voluptatem, deponat veterem pueritiæ disciplinam, novâ instituatur morum doctrinâ, ipsisque Deorum & heroum confirmetur exemplis; & ad omnem exuendam formidinem ac verecundiam excitetur. Quid censes, Œnophile?

ŒNOPH. *dormitare incipiens.*

Be . . . be . . . bene. To . . . toto capite annuo.

TRICH.

Ipsa convivia si liberiora sint (ut sunt vulgò apud Juvenes) satis, mihi crede, animos omni solvunt formidine; & importunam expellunt verecundiam; dum corda solvente lætitiâ de Moribus, de Doctrinis, de Re-

ligionibus, habetur sermo & fertur sententia, voluptate magistrâ & judice. Quid tibi videtur, Œnophile?

ŒNOPH. *stertit.*

Hon...

TRECH.

Hem dormis.

ŒNOPH.

Do ... dormire me nesciebam. Re ... recte mones. Nam in hoc Consessu bi ... bibere fas est; do ... dormire est nefas. Qui ... quid aiebas autem?

TRECH.

Aiebam & aio doctrinam voluptariam satis commodè, imò commodiùs hauriri in conviviis, quàm in Theatris, propinante Baccho lætitiæ patre.

CHOR.

At ego illam contendo multò certiùs percipi in Theatris, dum ab auribus & oculis in ipsum pervadit animum, lenocinante cantu vel gestu, & toto scenæ apparatu.

ŒNOPH.

No ... no ... nolite contendere. Illa & in theatris certò, & in conviviis citò per ... per ... percipitur. Illam in utrisque gu ... gustavi, & combibi. Multa me ma ... magistri de moribus do ... docuerant in collegio: & do ... documenta sua in animo meo

diu hæſura cre... cre... crediderant, homines ſtultè cre... creduli. Vix ad *theatra* pu... publica acceſſi: vix ad convivia li... liberiora me contuli, cùm illam pue... puerilem morum diſciplinam dedidici; & omnem abjeci formidinem ac ve... ve... verecundiam. Bi... bibat itaque Philedonus in conviviis; & in The... Theatris ſedeat. Bi... bibat, & ſpectet; ſpectet & bi... bibat.

CHOR.

Neque Choræas ad ſpectacula negabitis adjiciendas.

TRECH.

Poſt cœnam videlicet.

CHOR.

Poſt cœnam, de nocte, ut animus *totus ſit* in nugis, & nihil ſeverum cogitet.

ŒNOPH.

Sa... ſapienter Chorœbus. Nam choreæ totum hominem à ſe... ſe... ſeveris cogitationibus avocant: & ſumptâ ad ſa... ſaltandum larvâ pudor fa... facilè omnis deponitur. Larva enim no... no... non erubeſcit. Saltet itaque Philedonus, & can... cantet ſi lubet; & bi... bibat. Surgamus nos, & bi... bibamus. Nam conſilio habito bi... bibendum eſt.

TRECH.

Bibendum eſt ſanè; ſed remedia quæ ſanando Philedoni animo idonea cenſuimus, paranda ſunt, nova, quæ novitate ſuâ placeant; efficacia, quæ animum volentem nolentem vi blandâ rapiant. Adeſt nobis opportunè cùm Polydromo Sinapius.

SCENA XX.

SINAPIUS, POLYDROMUS, ŒNOPHILUS, CHORŒBUS, TRECHEDIPNUS.

TRECH.

QUID hoc chartæ eſt, Sinapi?

SIN.

Novam cœnæ deſignationem affero quam vobis Philedonoque offeram.

TRECH.

Illam cedo ut deguſtem oculis.

ŒNOPH.

O ... oſtende. No ... novum ſcilicet convivii ſy ... ſyſthema nobis affers. Gau ... gaudeo. Nam amo no ... no ... nova ſyſthemata, & turbines. Vo ... volo ſyſthema, ubi menſa ro ... ro ... rotunda ſit in medio ve ... ve ... veluti ſol: ubi la ...

la . . . lagenæ circa mensam tanquam pla . . . pla . . . planetæ motu perpetuo circumagantur: ubi tamdiu ;bi . . . bibatur, bibatur, bibatur, dum omnia turbinis in morem. Ipse *turbinis in morem circum agitur*, gy, gy, gy, gy, gy, gy, gyrare videantur. Istud systhema optimum est. So . . . solvit omnes difficultates.

SCENA XXI.

MELODUS, ŒNOPHILUS, CHORŒBUS, TRECHEDIPNUS, POLYDROMUS, SINAPIUS.

CHOR.

INGREDERE, Melode. Habésne modos fistulæ novos, quibus possis mulcere animi ægritudines.

MEL. *fistulâ modulatur.*

Habeo, vel inveniam, audite.

ŒNOPH.

Be . . . bene & suaviter . . . sed bi . . ., bibere suavius est.

SCENA XXII.

OXYCRATES, ŒNOPHILUS, TRECHEDIPNUS, CHORŒBUS, MELODUS, SINAPIUS, POLYDROMUS.

ŒNOPH.

VE . . . ve . . . veni, Oxycrates. Illamne affers animi me . . . me . . . medicinam quam ego dixi ex tuâ de . . . depromendam apothecâ.

OXYCR.

Vinum affero, ad purgandas animi curas omni vino potentius Emetico.

SCENA XXIII.

PHILEDONUS, ARISTOBULUS, TRECHEDIPNUS, SINAPIUS, ŒNOPHILUS, OXYCRATES, CHORŒBUS, MELODUS, POLYDROMUS.

PHIL.

UBI, ubi Polydromus?

POL.

Adsum, here.

TRECH.

Subit Philedonus... Agite, omnes remedium animi quisque suum depromite, & offerte.

SIN. *chartam offerens in quâ designatus cœnæ apparatus.*

En tibi, Philedone, nova cœnæ designatio.

PHIL.

Amove te.

OXYCR.

En tibi vinum sapore novo commendabile.

PHIL.

Procul esto.

MEL. *iterùm fistulâ modulatur.*

En tibi novos fistulæ modos.

PHIL.

Facesse; vos omnes abscedite; tu, Polydrome, accede... *Servum graviter, manu percutit.*

POL.

Ahy.

PHIL.

Tu me sic fallis, servorum improbissime! sic ab Erasto venire te dicis? sic illum convaluisse affirmas, dum morti proximus est; dum moritur. Fuge, mendaciorum artifex.

POL.

POL.

Mentiri sum jussus.

ŒNOPH.

No . . . no . . . non ego jussi. Ve . . . vera dixi.

SCENA XXIV.

PHILEDONUS, ARISTOBULUS, ŒNOPHILUS, CHORŒBUS, TRECHEDIPNUS.

TRECH.

AIN tu? moritur Erastus?

PHIL.

Et mortuus est.

TRECH.

Miror. Nam huic corpus validum esse videbatur, & bene constitutum.

CHOR.

Doleo. Nam eleganter saltabat.

ŒNOPH.

Et li . . . li . . . liberaliter bi . . . bibebat. Non debuit tam citò mori. Ineptum hoc & ri . . . ri . . . ridiculum est. Sed mo . . . moriemur omnes. Ego qui nunc va . . . valeo; & va . . . valenter bibo, mo . . . moriar quoque.

Et.

PHIL.

Duri! immisericordes! impii! sic amicum lugetis mortuum!

TRECH.

Lugemus; sed fortiter. Teque sic lugere decet. Neque à convivio abstinere, quod tibi novo apparatu instruendum est.

CHOR.

Neque choroeam omittere quam propter te novam excogito.

ŒNOPH.

Ne ... ne ... neque vinum respuere quo ... quo ... quod no ... non novum, sed sa ... sapore novo commendatum elegi.

PHIL.

Vos mihi compotationes, commessationes, Choroeas etiam nunc obtruditis! Ite, alium vobis insaniæ comitem quærite. Absistite, inquam, vel ego abscedo.

TRECH.

Quin potius consiste. Nos eum te tuis extrusum ædibus. Abscedamus nos tantisper dum iste se remittat dolor. Mox ad cœnam & lætitiam nos huc referemus.

CHOR.

Sero cantus Musicos repetemus.

ŒNOPH.

Et sa ... sa ... lugentes singultibus Erasmum lu ... lu ... lugebimus mortuum.

SCENA XXV.

ARISTOBULUS, PHILEDONUS.

PHIL.

O Eraste! infelix Eraste! ô vita! ô mors! ô cœlum! ô terra! ô inferi! heu me!

ARIST.

Ineptè quidem, & impiè Erasti mortem accipiunt isti tui sodales, qui modò isthinc abeunt. At cave tu ne istam animo quoque feras nimium iniquo; neu præter modum doleas.

PHIL.

Ne præter modum, ô Superi! an possum dolere nimis? an possum satis? ah! *decidit in cathedram vehementi dolore correptus.*

ARIST.

Omnino potes. Et jam plus æquo dolere visus es. Dum te ex Erasti vix demortui cubiculo proripis furenti magis, quàm mœrenti similis.

PHIL. *surgit.*

Nescis ergo, Aristobule, quid viderim, quid audierim.

ARIST.

Amicum vidisti expirantem, & ultima ejus suspiria excepisti. Hoc scio.

PHIL.

Non tu observasti quomodo illi proximè adsistens, apprehensâ ejus dexterâ, dum altiùs inclamo: *Eraste, agnoscis me.* Ille fractos & morientes in me attollens oculos. *Agnosco te, Philedone,* inquit, *æternùm pereo, & tu me perdidisti.* Statimque averso capite ingemuit, & expiravit. Hæccine vidisti, Aristobule? hæccine audivisti? *à parte. Æternùm pereo, & tu me perdidisti. Iterùm decidit in cathedram.*

ARIST.

Horum aliquid vidi, quæ memoras, & aliquid inaudivi; sed vana delirantis animi somnia neque attendi satis, neque tu attendere nimiùm debes.

PHIL. *sedens loquitur.*

Non hæc, amice, non hæc animi vana deliratio est. Sed adolescentis æternùm pereuntis, & per me pereuntis, heu nimiùm vera confessio. *Iterùm surgit.* Video te attonitum hærere; & in iis, quæ dico, nihil intelligere. Quod ignoras disce. Finge tibi adolescentem pium, castum, verecundum, animo, vultu, voce ad modestiam factum, studiosum virtutis, & per omnia virtuti simillimum; talis fuit Erastus.

ARIST.

Talem enim verò fuisse audivi; & aliquando talem cognovi.

PHIL.

Et talis nunc quoque foret; si me non cognovisset. Exhorrescis! nondum horrori locus. Audi me. Illum, ego rudem, & ignarum ad omnem nequitiam erudivi; invitum ac nolentem ad omne flagitium illexi, pertraxi, praecipitem impuli. Ille meis incitatus verbis, confirmatus exemplis, in omnes se voluptates immersit, sic vixit; sic mortuus est; sic æternùm periit; sic illum ego perdidi.

ARIST.

Terrere debent ista, fateor, quæ narrasti; sed omnem de amici salute spem omninò abjicere non debes.

PHIL.

Frustra me de amico sperare aliquid ultra velis. *Æternùm periit* Erastus, & *illum ego perdidi.* O Deus! ô juste! ô vindex Deus! quid adolescentem alienâ fraude corruptum rapis? quid corruptorem fraudulentum vivere ulteriùs finis? Erastum ulciscere! vindica te! Perde impium, per quem tibi sibique infelix adolescens *æternùm periit*.

SCENA XXVI.


POLYDROMUS, PHILEDONUS, ARISTOBULUS.

POL. *libros affert tremens.*

HOs tibi Erasti famulus refert libros, quos hero suo legendos dederas.

PHIL. *accipiens libros.*

Hæc ipsa sunt arma, quibus amici pudorem expugnavi; hæc venena quibus animum ejus infeci. Hæ faces, quibus in ejus castissimo pectore impuri amoris flammas impurissimas accendi. Ah pereant libri exitiales, per quos ille *æternùm periit.* Hos tu mihi, Polydrome, ignes ignibus extingue, & absume ... heu me! quà me deinde vertam? quò fugiam? statutum est, in loca sola me confero, ubi cum nemine mortalium vivam, ubi & lugeam amicum, qui periit; & me, qui illum perdidi. Aristobule, vale. *Aristobulum reptim & quasi dolore amens amplectitur.*



SCENA XXVII.

PHILEDONUS, ARISTOBULUS.

ARIST.

Non sic temerè abibis, amice, non sinam.

PHIL.

Quid me? quid retines?

ARIST.

Quia in omni re, sed in mutatione vitæ præsertim cavendum est, ne quid nimis. Quia nihil statuendum turbido consilio: nihil subito animi impetu aggrediendum; ne quid suscipias quod nequeas exequi, aut eò pedem feras, undè mox revocatum velis.

PHIL.

Mene hìc diutiùs manere, ubi meis omnia sunt plena flagitiis? ubi quidquid video, Erastum meis objicit oculis Ubi illum assiduè audio meis inclamantem auribus *æternum pereo; & tu me perdidisti.* Ah! permitte obsecro, in nemora, in rupes, in antra me conjiciam; ubi & hominum alloquio caream, & cœli aspectu, quem ferre nequeo.

ARIST.

Nefas, inquam, id me permittere, ut facias quod non decet.

PHIL.

Non me decet in portum longissimè, in scopulis post naufragium confugere?

ARIST.

Decet quidem recedere ab infami sodalium grege, quibuscum neque sobriè vivere, neque honestè versari licet; sed in loca sola, procul ab omni consortio, absque longâ, prudenti, & certâ deliberatione confugiendum non censeo. Imò te in hac urbe, in omnium oculis commorari forsitan decet, ut ubi exemplo nocuisti, ibi exemplo prosis; & quos à virtute abduxeras, ad virtutem, quoad licet, revoces.

PHIL.

Jubes, ut à pravis recedam sodalibus, idemque ut in hac urbe remaneam suades. Quò me igitur, vel ad quos vis concedere?

ARIST.

Ad me, si lubet. Lutetiæ commoraturus sum aliquamdiu, in illo meo veteri hospitio liberali, honesto, & pudico; illic mecum habita, & quid facere te deinde oporteat, vel tecum ipse solus, vel cum aliquo prudenti viro considerabis.

PHIL.

Tu me tecum habitare velis! tu domi habere sustineas perfidum, impium, parricidam, per quem amicus periit! non metuis, ne te quoque perdam brevi?

ARIST.

ARIST.

Non hoc metuo, amice; imò te mihi virtutis ducem brevi fore confido.

PHIL.

O Deus immortalis! dux virtutis ego, qui vitiorum omnium hortator & magister; per quem amicus æternùm periit.

SCENA XXVIII.

ERGASTUS, POLYDROMUS; PHILEDONUS, ARISTOBULUS.

POL.

EN tibi Philedonus: alloquere, si te audire volet, &, quod affers muneris, exhibe.

ERG.

Hanc tibi, Philedone, pyxidem cum epistolâ mittit Circe.

PHIL.

Quænam Circe?

ERG.

Fœmina illa nobilis, quæ tibi nuper cum Erasto cœnanti assidebat; quæ te post cœnam vidit saltantem & admirata est.

PHIL.

O Superi! quæ meum perdidit amicum, (quanquam non sola perdidit; sed perdidit

tamen) jam mihi tendit insidias. Isthæc aufer procul, & tua tecum venena remove.

ERG.

Facis honestæ contumeliam fœminæ, neque hoc illa de te meruit.

PHIL.

Quid de Erasto meruerit, scio. Hinc fuge.

ERG.

At pyxidem aperi saltem; & ad pictam intus imaginem respice.

PHIL.

Nihil respicio. Facesse.

ERG.

At certè litteras lege.

PHIL.

Nihil lego. Amolire te ocyus.

ERG.

At....

PHIL.

Nihil audio. Polydrome, istum hominem isthinc abripe.

ERG.

Sed enim....

POL.

Sed enim, januam respice: vestigia relege, & siquidem sapere jam cœpimus, alios qui desipiant, quære. Multos & facilè invenies.

SCENA XXIX.

ET ULTIMA.

ARISTOBULUS, PHILEDONUS, POLYDROMUS.

ARIST.

NUNC te, Philedone, quoniam & vetera sentis vulnera, & nova metuis tela, nunc te mecum domi accipere haud quaquam dubitem; neque postquam tales sprevisti voluptatum illecebras, quicquam tibi vel à te metuendum existimo.

PHIL.

Egone voluptates iterum admittam, per quas æternùm periit amicus; per quas ipse merui æternùm perire? ah! procul à me sit omne voluptatum genus.

ARIST.

Dum illas abjicis voluptates quæ te indignæ sunt, alias reperies & digniores te, & suaviores.

PHIL.

Voluptas nulla me digna est, præter flere; hæc una mihi superest. *Recedit paulisper gemens, oculos fletu madentes manu tegens.*

ARIST.

Ausculta, Polydrome, omnem Philedoni supellectilem cura isthinc efferri ocyùs; & ad me in illud meum vetus hospitium deportari; ibi herum tibi reconciliabo.

POL.

Pergratum feceris; nam illum semper plùs amavi, quam ipse se amaret.

ARIST.

Age, sequere me, Philedone.

PHIL.

Tuos sequor gressus, Aristobule; & me tibi regendum trado. Faxit Deus justissimus, clementissimus Deus, ut *qui me errantem secuti sunt juvenes miseri, me quoque sequantur pœnitentem.*

FINIS.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS.

EGo Josephus-Joachimus de la Grandville, præpositus Provincialis Societatis Jesu in Provinciâ Franciæ, potestate ad id mihi factâ ab admodùm Reverendo Patre nostro præposito Generali Francisco Retz, facultatem Concedo ut *P. Caroli Porée*, *Fabulæ Dramaticæ*, eruditorum ex eâdem Societate nostrâ judicio probatæ, typis excudantur; in cujus rei fidem literas manu meâ subscriptas, & sigillo officii mei munitas dedi Parisiis die duodecimâ Decembris, an. 1748.

Jos. Joach. DE LA GRANDVILLE.
Soc. Jesu.

APPROBATIO CENSORIS REGII.

JUssu Illustrissimi Galliarum Cancellarii legi Caroli Porée, è Societate Jesu Fabulas, easque non minùs Jucundas, quàm utiles fore propterea existimavi, quòd duplex hujus libelli dos sit, & risum movere, & prudenti vitam Consilio monere. Parisiis die 12. Decembris 1747.

P. GERMAIN.

PRIVILEGE DU ROI.

LOUIS, par la grace de Dieu, Roi de France & de Navarre : A nos amés & féaux Conseillers les Gens tenans nos Cours

de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand Conseil, Prevôt de Paris, Baillis, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils & autres nos Justiciers qu'il appartiendra, SALUT Notre bien amé le Sieur ** Nous a fait exposer qu'il désireroit faire imprimer & donner au Public un Manuscrit qui a pour titre: *Caroli Porée, è Societate Jesu, Opera omnia, Tragœdiæ, Comœdiæ, Miscellanea & Epistolæ, Orationes Academicæ, Orationes sacræ.* S'il nous plaisoit lui accorder nos Lettres de Privilége pour ce nécessaires: A CES CAUSES, voulant favorablement traiter ledit Exposant, Nous lui avons permis & permettons par ces Présentes, de faire imprimer ledit Ouvrage ci-dessus spécifié, en un ou plusieurs Volumes, & autant de fois que bon lui semblera, & de le faire vendre & débiter par tout notre Royaume pendant le tems de six années consécutives, à compter du jour de la date desdites Présentes. Faisons défenses à toutes sortes de personnes, de quelque qualité & condition qu'elles soient, d'en introduire d'impression étrangere dans aucun lieu de notre obéissance; comme aussi à tous les Libraires, Imprimeurs, d'imprimer, faire imprimer, vendre, faire vendre, débiter ni contrefaire ledit Ouvrage, ni d'en faire aucuns Extraits, sous quelque prétexte que ce soit, d'augmentation, correction, changemens ou autres, sans la permission expresse, & par écrit dudit Exposant, ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiscation des Exemplaires contrefaits, & de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers audit Exposant, & de tous dépens, dommages & intérêts. A la charge que ces Présentes seront enrégistrées tout

au long sur le Regiſtre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, dans trois mois de la date d'icelles, que l'impreſſion de cet Ouvrage ſera faite dans notre Royaume & non ailleurs, en bon papier, & beaux caractéres, conformément à la feuille imprimée & attachée pour modéle ſous le Contreſcel deſdites Préſentes; que l'Impétrant ſe conformera en tout aux Réglemens de la Librairie, & notamment à celui du 10 Avril mil ſept cent vingt-cinq: & qu'avant que de l'expoſer en vente, le Manuſcrit qui aura ſervi de copie à l'impreſſion dudit Ouvrage, ſera remis dans le même état où l'Approbation y aura été donné, ès mains de notre très cher & féal Chevalier le Sieur DAGUESSEAU, Chancelier de France, Commandeur de nos Ordres, & qu'il en ſera enſuite remis deux Exemplaires dans notre Bibliothéque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notredit très-cher & féal Chevalier le Sieur DAGUESSEAU, Chancelier de France; le tout à peine de nullité des Preſentes: Du contenu deſquelles, vous mandons & enjoignons de faire jouir ledit Expoſant ou ſes ayans cauſes, pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la copie deſdites Préſentes, qui ſera imprimée tout au long au commencement ou à la fin dudit Ouvrage, ſoit tenuë pour dûëment ſignifiée, & qu'aux Copies collationnées par l'un de nos Amés & féaux Conſeillers & Secretaires, foi ſoit ajoûtée comme à l'Original. Commandons au premier notre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, de faire pour l'exécution d'icelles, tous Actes requis & néceſſaires; ſans demander autre permiſſion, & nonobſtant clameur de Haro, Chartre Normande, & Lettres à ce contraires: CAR tel eſt

notre plaisir. DONNÉ à Paris le dixième jour de Janvier, l'an de grace mil sept cent quarante-quatre, & de notre Regne le vingt-neuviéme. Par le Roi en son Conseil.

Signé, SAINSON.

Regiſtré ſur le Regiſtre XI. de la Chambre Royale & Syndicale des Libraires & Imprimeurs de Paris, N°. 275. fol. 232. conformément au Réglement de 1723. Qui fait défenſe, art. 4. à toutes perſonnes de quelque qualité qu'elles ſoient, autres que les Libraires & Imprimeurs, de vendre, débiter, & faire afficher aucuns Livres pour les vendre en leurs noms, ſoit qu'ils s'en diſent les Auteurs ou autrement; & à la charge de fournir à ladite Chambre Royale & Syndicale des Libraires & Imprimeurs de Paris, huit exemplaires de chacun, preſcrit par l'article 108. du même Réglement. A Paris le 31. Mars 1744.

Signé, SAUGRAIN, *Syndic.*



De l'Imprimerie de GISSEY.

